DE HISTORIA NATVRALI VETERVM

LIBELLVS PRIMVS

AVCTORE

IOHANNE BECKMANNO.

PETROPOLI ET GÖTTINGAE
IMPENSIS DIETERICHIANIS 1766.

ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

GERLACO ADOLPHO

L. B.

DE MVNCHHAVSEN

DYNASTAE IN STRAVSFVRTH

RELIQVA

AVGVSTISSIMO MAGNAE BRITANNIAE REGI
ELECTORI BRVNSVICO LVNEBVRGICI

A CONSILIIS SANCTIORIBVS

EIVSQVE

PRIMARIO STATVS ADMINISTRO

REGIAE REDITVVM CAMERAE PRAESIDI

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

CVRATORI

DOMINO ATQVE PATRONO

LONGE INDVLGENTISSIMO.

ILLVSTRISSIME ATQVE
EXCELLENTISSIME DOMINE

Quod etiam ante reditum in patriam ausus fuissem, etsi animo suspenso ac timido, illud iam redux TVIS*que auspiciis professoribus Academiae* TVAE *adscriptus, fortiori animo audeo. Offero*

TIBI,

TIBI, *ILLVSTRISSIME ATQVE EXCELLENTISSIME DOMINE,*

omni submissionis ac pietatis cultu primitias hasce apud exteros mihi varia inter negotia & necessaria librorum supellectile destituto enatas, quas vt gratioso vultu accipias, humillime rogo, vsque dum TVO *e solo eruditionis vniuersae fertilissimo fruges exhibere potero*

ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO

Scr. Gottingae.
d. 20. Octob.
1766.

deuotus.
IOHANNES BECKMANN.

LECTVRIS INCOLVMITATEM.

Quam & phyſici & philologi hodie fere negligere videntur, hiſtoriam naturalem veterum, eam cum & philologiae & hiſtoriae naturalis ſtudio quam maxime delector, quantum per vires meas liceat, colo. Jam cum ſpecimen dare & periculum mei facere velim, ea hic offero viris eruditis, quae quaſi prooemia totius operis dici queunt. Expoſui nimirum capite PRIMO ortum & progreſſum hiſtoriae naturalis, atque inprimis Zoologiae, quae non immerito prima hiſtoriae naturalis pars dici ſolet; quod argumentum ab iis omiſſum video

 omni-

omnibus, qui litterarum hiſtoriam contexuerunt: capite SECVNDO declaraui rationem, qua veteres in conſcribenda hiſtoria naturali, vſi ſunt. Capite TERTIO egi de fabulis, quae in ea apud veteres occurrunt; capite QVARTO vero de collectionibus rerum naturalium apud veteres; capite QVINTO de ratione agnoſcendi veterum animalia; capite SEXTO vtilitatem hiſtoriae naturalis in philologia probaui, & capite SEPTIMO eam demonſtraui, quam ex hiſtoria naturali veterum petere poſſunt hiſtorici naturae hodierni.

In primis vero hoc egi, vt probarem, eſſe Zoologiam veterum, Graecorum, inquam, & Latinorum, dignam omnino, cui operam dent viri docti. Iis, qui, cum nulla doctrina ſine erroribus atque fabulis adoleuerit, & multi etiam mythologia & ſomniis philoſophicis delectentur, nihilo minus fabulas, quae de rebus naturalibus apud veteres occurrunt, verbis nimis acerbis perſtringere ſolent, demonſtraſſe mihi videor, fabulas nequaquam eſſe tam multas, ridiculas

las atque abſonas; quam eae viſae ſunt multis; easque vix & ne vix quidem, etſi vel maxime hoc voluerint, veteres euitare potuiſſe; quin etiam non paucas res relatas ab Ariſtotele, Plinio aliisque temere falſas eſſe dictas ab recentioribus, quas veras eſſe recentior aetas probauit; etſi haec antiquitati non fere ſatisfecerit; itemque complures res, quas primi vidiſſe ac inueniſſe ſibi viſi ſunt hodierni, iam ſatis olim cognitas eſſe atque deſcriptas. Quis credidiſſet, *cancrum curſorem* Linnaei, ſerpentem qui a Linnaeo *Conſtrictor* dictus, *Hemerobium, Formicoleonem*, *Zebram*, *Pinnam* & *Pinnoterem*, inſectum *Sphex* fabuloſus dictum Linnaeo; gemmam *Aſteriam* Lehmanni, gemmamque Aepini *Tourmaline* dictam, nec non animalcula *ſpermatica* cognita fuiſſe veteribus? Quae cum re vera iis cognita fuerunt, nonne veterum ſtudia, quae in reliquis doctrinis omnibus laudantur, in hiſtoria etiam naturali laudanda ſunt, qui ſummo ſtudio animalia vbique conquiſiuerunt, aluerunt, deſcripſerunt, immo depinxerunt; qui res naturales in templis, Herculis in primis at-

que Dianae, ſumma religione quam diu-tiſſime, atque eae quidem, quae ſiccari nequeunt vel ſale, vel melle, vel cera conditas ſeruarunt; cum philoſophi gra-uiſſimi rerum naturae latebras ſcrutati ſunt & quae innoteſcebant, ea diſpoſue-runt, explicuerunt, ornarunt, proba-runt experimentis, atque ex iis ſi non Deum ipſum, vt prouidentiam quan-dam ſapientiſſimam, beneficentiſſimam agnouerunt; cum imperatores aluerunt ac miſerunt philoſophos, qui explora-rent terras minus notas; cumque ipſi res naturales raras atque praeſtantes inter cimelia ſeruarunt ſua, iisque ac aliis re-bus vetuſtate ac raritate notabilibus ex-coluerunt praetoria ſua?

Hi vero, quae naturae hiſtoricis Grae-cis ac Latinis ἀταξίαν opprobrare ſolent, iam mecum, vt ſpero, ſentient, illos ne-quaquam mala, confuſa, incompleta dis-poſitione ſiue diuiſione ſeu ſyſtemate vſos eſſe, ſed nulla plane, quippe qui immaturo vſu poſteritati inde orituram vtilitatem eripere vel difficiliorem red-dere noluerint.

Haec

Haec ſunt, quae hic tradidi, quaeque aliquando vberius ſum traditurus. Attuli vbique exempla, quae inuenire iam potui, vtiliſſima. Adſcripſi vbique ipſa veterum loca, quo facilius quisque quo in loco a me erratum ſit, poſſit videre. Tantum enim abeſt, vt omnia me recte vidiſſe contendam; cum praeſertim iam iam hinc in Sueciam abiturus non omnia lima perſequi; nec omnibus iam libris neceſſariis, vti hic potuerim; vt potius lectores erroribus veniam etiam atque etiam orem atque rogem.

Adieci interdum verba interpretationis Germanicae, quam Plinii nuper dedit cl. Denſo, eamque vbi licuit, emendaui; quod vir eruditiſſimus in bonam partem accipiat velim. Non ignoro, quam ſit difficile, eruditiſſimum hoc opus ac varium transferre in linguam noſtram, quare nec vnquam mihi mirum viſum eſt, quod in tanto interpretatorum numero ſolus Plinius nullum hodie nactus ſit. Iam vero cum hiſtoria naturalis maxime colitur, facilior erit iſta interpretatio, ad quam, cum in eodem

argumento verſar, quaedam conferre volui. Primam vero partem modo vidi, exſpectans auide vltimam, qua vberius cl. Denſo hiſtoriam naturalem veterum eſt traditurus.

Quod reliquum eſt, deeſſe mihi nolo, quin hic publice laudem viri celeberrimi SCHLÖZERI Profeſſoris hiſtoriarum Academiae ſcientiarum, quae hic floret, digniſſimi, inſignem in me fauorem, qui cum non in eodem quidem, ſed in affini olim argumento verſatus eſt; cuiusque ſicut in vniuerſa philologia, in primis ea, quam orientalem vocant, qua ornatus hiſtoriae imperii Ruſſici veteri lucem deſideratam iam iam allaturus eſt; ita etiam hac in re ſtudia feliciſſima multis merito collaudata ſunt; non ſolum quaedam a me omiſſa veterum loca indicauit; ſed etiam non paucas me docuit res magni momenti. Illa cum per modeſtiam VIRI laudare nominatim non licet, hic tantum grato animo me EI debere agnoſcam, quae de ſalſura, qua veteres ad ſeruanda corpora animalium vtebantur; itemque quae de fabu-

lis,

lis, quas peregrinatores historiae naturali intulerunt, atque quaedam quoque, quae de istis fabulis, quas ingenia hominum e membris animalium ignotorum finxerunt, exposui.

Quodsi studium meum probatur viris doctis, historiam ipsam naturalem, atque primum quidem Zoologiam exponam, animalium nempe historiam naturalem non eorum, quorum in sacro codice mentio facta est, sed quae in libris Graecorum ac Latinorum occurrunt. Sequar vero non Bocharti, multo minus Aldrouandi ordinem, sed eum, quo recentiores, in primis ill. Linnaeus, vtuntur; ita quidem, vt omissis omnibus illis παρέργοις, quibus scatent istorum libri alioquin eruditissimi, primum vbi licet, demonstrem, quodnam sit animal in recentiorum dispositionibus s. systematis, de quo veteribus sermo; vbi vero hoc non licet, ibi enarrem virorum eruditorum sententias; deinde vt e libris veterum tradam membratim, quae de descriptione, propagatione, vitae ratione, patria, morbis eorumque reme-

diis, de vſu domeſtico, caet. animalis cuiusque memoriae prodiderunt, eaque omnia cum recentiorum ſententiis conferam. Laudabo etiam icones, quas hodierni optimas animalis, de quo agetur, dederunt; vt eas quibus placebit, potuerint adire. Jam valete, lectores, mihique fauete.

IOHANNES BECKMANNVS.

Petropoli.

Anno 1765.

die 21. menſis Iunii.

PROLOGUS.

Qui olim hiſtoriam naturalem amabant vel contexebant, ii omnes omnia hauriebant e veterum, Graecorum, inquam, & Latinorum libris; hodie vero vix & ne vix quidem operae pretium exiſtimant naturae hiſtorici, legere quae Ariſtoteles, Plinius aliique de rebus naturalibus memoriae prodiderunt. At temere hoc quidem. Nam etſi ea non digni ſunt veteres auctoritate, quam iis maiores noſtri tribuerunt, tamen nec licet omnem iis detrahere fidemque denegare. Philologi, qui olim vbique ſcriptionibus ſuis admiſcebant quaedam ex Alberto Magno vel Aldrouando, iam, cum plures ad Phyſicae ſtudium & hiſtoriam naturalem confluxerint, vt ductae hae litterae ab humili venerint ad ſummum, nihil curare videntur naturae hiſtoricorum libros atque ſententias. At male etiam hoc. Tanta eſt enim cunctarum litte-

litterarum ac doctrinarum coniunctio, vt quo plures quis didicerit, eo maiora etiam & grauiora afferat incrementa ei eruditionis parti, quam colendam ſibi elegit; ita vt nec Philologia, inprimisque veterum lectio parum iuvet naturae hiſtoricos & hiſtoria naturalis Philologos. Nótitiam animalium, lapidum & herbarum vel maxime prodeſſe iis, qui codici ſacro lucem afferre volunt, viderunt quicunque inter commentatores ingenii & eruditionis gloria turbae antecelluerunt, admoniti iam a divo Auguſtino. (1.) Nam Samuelis Bocharti (vt omittam alios) diligentia in colligendis iis rebus, quae ad agnoſcenda animalia, quorum in ſacro codice mentio facta eſt, facere poſſunt, nota eſt cuique. (2.) Verum cum vixerit eo tempore, quo nondum hiſtoria natu-

(1.) Auguſtinus de doctrina Chriſti L. 2. c. 16. *Rerum phyſicarum ignorantia facit obſcuras figuratas locutiones, cum ignoramus vel animalium vel herbarum naturas, aliarumque rerum, quae plerumque in ſcripturis ſimilitudinis alicuius gratia ponuntur.*

(2.) Hierozoicon ſiue Opus de animalibus ſcripturae ſacrae prodiit 1663. & iterum Francofurti 1675. itemque e recenſione Johannis Leusden Lugduni Batau. 1692. qua equidem editione vtor.

turalis ſtudio virorum eruditorum fruebatur, quo nunc floret, venia viro danda eſt, ſi non omnem rem optime explicaverit. Propior fuit noſtro aeuo aetas Celſii, viri magna eruditione & fama, quam ob cauſam felicius plantas agnouit, quam ille animalia ſua. (3.) Neque noſtro aevo deſunt inter viros in exponendo codice ſacro verſantes, qui imbuti hiſtoria naturali eadem ratione vtuntur; e quibus vnum modo hic laudabo, illuſtrem nempe illum Michaelem Goettingenſem, cuius non vulgaris eruditio in re phyſica ſexcentis iam locis non ſacri codicis ſolum, ſed etiam aliorum librorum attulit lucem feliciſſime. At ſi horum libros, qui alteri philologiae parti, quam profanam vocant, operam nauant, evolvamus, videmus eos annotationibus quidem criticis, variisque lectionibus refertos atque ornatos, at nullum inter eos offendimus, qui vel Homerum, vel Ariſtotelem vel Plinium vel Dioſcoridem vel Aelianum, vel auctores rei ruſticae vel alium quemquam cum recentiorum hiſtoriae naturalis doctoribus contuliſſet & ea ratione ex-

(3.) Olaui Celſii Hierobotanicon Amſtelodami 1748. 8. cuius nouam, auctam & emendatam editionem promiſit illuſtris Michaelis.

exposuisset. At sunt non nulli, qui locis explicatione indigentibus addiderunt recentiorum sententias. At quorumnam quaeso? Alberti Magni, Aldrouandi, virorum scilicet, qui ipsi ex Aristotele, e Plinio hauserunt, hausta vero saepissime turbarunt. (4.) Ipse ille doctissimus Plinii commentator Harduinus, quibusnam aliis, nisi his vsus est doctoribus? Consuluit, quando licebat anatomicos Parisienses, qui tunc temporis bono studio animalia nonnulla dissecabant & describebant, sed saepe numero quae monuerunt, sine ratione abiecit. (5.) Hodie vero cum felicissima & accuratissima recentiorum diligentia istorum, Albertum Magnum di-

co

(4.) Non est tanti enarrare quoties Albertus Magnus veteres male intellexerit. Ridicule saepe errauit, cuius rei vnum modo exemplum addam. Plin. L. 8. ita: *Pompeii M. ludi primum ostenderunt Chama* —. Albertus M. vero ita: *bestia ludis apta, eo quod disciplinae multum est perceptibilis.* — Lib. 22 de anim. tract 2. c. 1. Nihilo minus Harduinus hunc locum laudaturus, *adiuvat*, inquid, *Albertus M. ad intelligendum Plinii locum.*

(5.) Memoires pour servir à l'histoire naturelle des animaux & des Plantes. Par Mess. de l'Academ. des scien. à Paris. à la Haye 1731. 4.

co & Aldrouandum, auctoritate, qua olim immeriti (quamquam si temporis habes rationem eos laude omnino dignos censeas) gaudebant, imminuit vel iis detraxit omnem, vix ullus est, quem philologi historiae naturalis ignari, quando ita fert necessitas, possunt consulere. Adeo enim immutata atque aucta est haecce doctrina, vt nemo, nisi qui initiatus, hoc est, qui ei rite operam antea nauauit, illam ad explicandos veterum libros possit adhibere. Imponenda enim erant nouis, aut potius nuper demum inuentis rebus nomina, quod quidem nemo doctus mirabitur, cogitans in omni arte, cuius vsus vulgaris communisque non sit, multam nouitatem nominum esse, quae in quaque arte & doctrina versentur. More quodam loquuntur suo & naturae historici & verbis in dicendo quasi priuatis vtuntur ac suis. (6.) Nequit itaque Philologus, nisi iam his etiam litteris imbutus intelligere *Linnaei Systema Naturae* & quae de plantarum generibus edocuit & speciebus, neque ea quae alii physici de iisdem rebus & de lapidibus metallisque tradiderunt. Quid igitur? Audeam rogare omnes, qui philologiae operam dant,

(6.) Conf. hac de re Cicero Lib. 3. de Fin. c. 1.

dant, vt ad haec ſtudia, quae & propter ſummam vtilitatem atque iucunditatem a tot & tantis viris adamantur & ſumma aſſiduitate coluntur, animum etiam adiiciant. Atque etiam eos rogo, qui philoſophiae ac hiſtoriae naturali operam ſunt daturi, vt ne omnem huic dent, ſed paullum quoque philologiae & lectioni librorum veterum, qui ob vtilem ſuavitatem a ſummis viris lectitantur, vtque quae hi memoriae tradidere in vſum ſuum & emolumentum litterarum conferant. Deterruit recentiores phyſicos a lectione veterum inconſiderata Aldrouandi diligentia, qui, quidquid apud veteres de animantibus offenderat ac corraſerat, in vnum congeſſit volumen & ita turbauit & miſcuit, vt vix aliquid inde vtile poſſit elici. (7.) Jam toti in inueſtigandis anima-

(7.) Ill. Linnaeus Aldrouandi ſtudium incremento hiſtoriae naturalis obfuiſſe credit. Ita enim ille in Amoen. Acad. T. 4. p. 131. *Aſſiduus ille Italus Aldrouandus, quo hanc ſcientiam locupletaret, collegit incredibile pene labore omnia, quae de animantibus indagare potuit commemorata, quo tamen ipſo tantum obfuit, vt integra condecretur ſcientia, vt potius plurimum ceperit detrimenti, cum fabulis veterum ac commentis tota quanta deformaretur. — — Hodieque quicun-*

malibus nondum a phyſicis viſis iisque deſcribendis occupati ſunt, atque ne falſi quid ſuis admiſceant auctoritate veterum decepti, ſedulo ſibi cauent ab eorum lectione. Neque volo, veterum admiſceri fabulas recentiorum doctrinis, ſed eas ſeparatim colligi, comparari, explicari volo. Namque quemadmodum hi, qui philoſophiam hodie profitentur, nec veterum illas philoſophicas ſcriptiones negligunt, quae ſaepius atque magis a vero & a ſana ratione abhorrent, quam veterum de animalibus fabulae; ſed eas legunt, relegunt, conferunt, explicant, eundem vt

que hanc ſcientiam proponunt auctores, variis eo conquiſitis vndique veterum fabulis ornatum conciliare ſtudent, vnde tam reddita eſt deformis atque inuiſa, vt eruditi vel ipſum Zoologiae nomen auerſentur.

Qui vitam Aldrouandi expoſuerunt, eum Graece non admodum doctum fuiſſe narrant. conf. Ezech. Spanheim apud Konig. Biblioth. p. 24. & Bayle Diction. hiſt. crit. art. Aldrouandus.

Nolo equidem hoc exprobrare viro aſſentiens Bailio eum ita excuſanti: *Il n'eſt pas étrange qu' occupé à tant de recherches qui emporte toute l'attention ------ qu'il n'ait point ſu beaucoup de Grec.* Verum monendum erat, vt intelligant philologi, cui fidant.

vt etiam in ſua diſciplina modum ſequantur moneo phyſicos. Congerunt philoſophi veterum ſententias peculiari ſtudio & contexunt hiſtoriam philoſophicam & philoſophis ipſis & philologis aliisue viris eruditis lectu vtiliſſimam. Hac etiam ratione colligunt naturae hiſtorici ſeparatim, quae de animalium natura prodidere veteres dentque operam, vt innoteſcant Zoologia, Botanica ac Mineralogia veterum. Equidem iam lectoribus quae mihi de veterum hiſtoriae naturalis & Zoologiae inprimis ratione praecipua, ex quo tempore in hoc argumento verſatus ſum, innotuerunt eo conſilio propinabo, vt non ſolum philologi, ſed etiam phyſici videant, operae omnino eſſe pretium, quae veteres, Graeci nimirum ac Latini de animantibus memoriae prodiderunt, adire, legere, diligenterque rimari.

CA-

CAPVT I.

DE ORTV ET PROGRESSV ZOOLOGIAE APVD VETERES.

§. 1.

Cum vita humana in paſtoritiam deſcendebat; iam tunc & animalia concludebant & manſueſcebant, inter quae prima haud dubie fuere, quae & propter vtilitatem & placiditatem ad vitam hominum erant aptiſſima; videlicet boves, quos primos hominum in opere ruſtico ſocios appellant veteres, (1.) laudantque

 ob

(1.) Non libet hic acervare quae veteribus in horum animalium laudem dicta ſunt, attamen temperare mihi nequeo, quo minus quaedam afferam. Bovem ſocium vocat Varro de re ruſtica L. 2. c. 5. Aelianus vero L. 2. hiſt. an. c. 57. bubalum genus πάγχρηςον γένος καὶ ἀνθρώποις ζῶον λυσιτελέςατον. *Tanta putabatur,* inquit Cicero de Nat. Deor. L. 2. c. 63 *vtilitas percipi, vt eorum viſceribus veſci ſcelus haberetur.* Quod idem eleganter Pythagoras apud Ovid. Metam. 15, v. 141.

Cum-

ob γεωργίας κοινωνίαν tanquam colonos ſuos; itemque oves, quarum villis conſectis atque contextis veſtiebantur, aliaque natura inprimis placida. Et quemadmodum arbores frugiferae & plantae ſativae primordia erant botanices, ita & haec primigenia pecuaria Zoologiam poſtea effecit. Ita enim poſtulabat rerum ratio, vt primum quod vtiliſſimum erat, poſſidere & conſervare ſtuderent. Poſteaquam homines in ſocietates abierant, ruſticum opus non a plebe, non a ſervis, ſed a ſummis viris, dignitate & eruditione praeditis, immo a regibus ſummo ſtudio colebatur; adeo vt virum bonum cum laudabant, ita laudarent, bonum agricolam bonumque colonum: ampliſſimeque laudari exiſtimaretur, qui ita laudabatur. (2.) Nam omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil agri cultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius iudicabant. (3.) Quae cum ita ſint, haud eſt ſane,

Cumque boum dabitis caeſorum membra palato,
Mandere vos veſtros ſcite & ſentite colonos.

qua tamen de re lege quae viri docti ad Ael. var. hiſt. L. 5. c. 14. monuerunt, vbi de feſto apud Athenienſes Βουφόνια dicto ſermo. De honore bubus habito adi, quos laudat Brouckh. ad Tib. 2, 1, 8.

De Ove Varro L. 2. c. 1, 4. qui L. 1. c. 2. ovium culturam appellat primigeniam pecuariam.

(2.) Cato de R. R. c. 1. Plin. hiſt. nat. L. 18. c. 2.

(3.) Vtor verbis Ciceronis de offic. 1, 42.

fane, quod quisquam dubitet, quin fummi ifti viri eadem cura femina & iumenta & pecora tractaverint, qua bella, eademque diligentia difpofuerint arva, qua caftra. Cuius rei graviffimum eft argumentum fumma iftius temporis vbertas; id quod etiam pofteri putarunt. (4.) Neque hoc in folos Romanos cadit. Nam & apud hos & apud alias gentes principale fuit de cultura agri praecipere. Siquidem & reges fecere, Hiero Siciliae rex, quem inter fcriptores de agri cultura commemorant Varro, Columella, Plinius, Philometor Attalus Pergami rex, cuius diligentiam in re herbaria & medicina laudant; Archelaus Cappadociae rex, cuius librum περὶ λίθων laudant; atque adeo duces nonnulli Xenophon, Mago Carthaginienfis, cuius quaedam, quae de mulo medicina praecepit, leguntur etiam nunc inter veterina-

(4.) Elegans eft locus Plinii hift. nat. L. 18. c. 2. & dignus, qui hic totus legatur: *Quaenam tantae vbertatis cauffa erat? Ipforum tum manibus Imperatorum colebantur agri; vt fas eft credere, gaudente terra vomere laureato & triumphali aratore: five illi eadem cura femina tractabant, qua bella; eademque diligentia arva difponebant, qua caftra: five honeftis manibus omnia laetius proveniunt, quoniam & curiofius fiunt.* conf. Cic. orat. pro Rofcio c. 50. Ovid. Faftor. L. 1. v. 207.

Iura dabat populis pofito modo conful aratro
Pafcebatque fuas ipfe fenator oves.

riae medicinae ſcriptores; (5.) de Latinis vero non attinet dicere, cum Catonis, Varronis, Columellae aliorumve libri noti ſint cuique. Quemadmodum nos e linguis exterorum libros de cultura agri in noſtram transferre ſolemus, ita & Romani. Nam ſenatus Carthagine capta, cum regulis Africae bibliothecas donaret, duo de triginta volumina Magonis illius Poeni in Latinam linguam transferenda cenſebat dabatque hoc negotium linguae Punicae peritis. (6.) Quin etiam poetae cecinerunt ruſticis & agri cultoribus praecepta, eo conſilio vt ea memoriae mandarent iisque in opere vterentur. Hos viros omnes nec animalium curam & naturam neglexiſſe, vtpote quae praecipua rei ruſticae pars erat, & res ipſa loquitur & intelligitur e libris eorum. Luculentum huius rei praebet exemplum Epirotarum rex Pyrrhus, qui bubus Epiroticis, non ante quadrimatum ad partum vocando, ſummam laudem conciliavit. Nam praegrandes fuere & aetate etiam Plinii reliquiae ſtirpium durabant, laudatque etiam Ariſtoteles oves Pyrrhicas. (7.)

§ 2.

(5.) Plura de hiſce viris habet index auctorum, qui a Plinio in hiſt. nat. appellantur, praefixus libro ſecundo Plin. in edit. Harduini.

(6.) Plin. L. 18. c. 3.

(7.) De bubus Plinius L. 8. c. 45. de ovibus vero verba ſunt Ariſtotelis hiſt. an. L. 8. τὰ πρόβα-

τα

§. 2.

Inter res, quae Zoologiae prima attulerunt incrementa, fuit fine controverfia VENATIO, cui hodie quidem proceres ob voluptatem, quam ex ea capiunt, operam navant, quae vero olim non voluptatis, fed fummae neceffitatis res fuit. Nam confiftebat fere victus omnis in venationibus; erat cibus plurimus a feris; veftitus omnis e pellibus, ac quae ferae nec homini, quem confpexerint, parcebant, eas fummo labore exftirpare cogebantur. (1.) Ancipitem hunc laborem & neceffarium, quo libentius fubirent homines, honorificum propterea ducebant; & callidus felixque venator fummos a quoque honores adipifcebatur. Ita Hercules Alexicacus, (2.) The-

τα τὰ καλόυμενα πύῤῥικα, τὴν ἐπωνυμίαν ἔχοντα τάυτην ἄπο Πύῤῥου τȣ̃ βασιλεως. Sunt quibus veri fimile videtur, a calore potius rufo, πυῤῥός, quam a rege, traxiffe id nomen, quae fententia nobis non probatur.

(1.) Goguet vom Urfprunge der Gefetze, Künfte und Wiffenfchaften. Th. 1. S. 83. & 352. Nota eft hiftoria de Croefi filio, cuius auxilium Myfi contra aprum eximiae magnitudinis agros vaftantem, implorabant, qui patrem veniam eundi in venationem fummopere rogabat, ne occafionem virtutem fuam probandi perderet. Herod. L. 1. p. m. 16.

(2.) Ἀλεξίκακος propterea vocatur Hercules Lactantio 5, 3. & Varroni de L. L. 6, 5. conf. Ael. var.

Theseus, Meleager, Nestor, Jason, (3.) aliique famam sibi conciliarunt. (4.) Quin etiam praemia proponebantur, quo plures hunc laborem subirent. (5.) Feliciter vero venaturus debebat animalia ipsa, eorum vestigia, latibula, pastum, tempus, quo coeant & pariant, catulosve educandi rationem addiscere; hoc quidem est parti historiae naturalis, quae de feris agit, operam dare. Neque hoc nesciebat Aristoteles, (6.) qui quae tunc temporis vena-

var hist. L. 5. c. 3. & ad hunc locum commentatores. Ita Apollo apud Plutarchum vocatur λυκόκτονος.

(3.) Juvabit legere pulcram venationis historiam apud Ovid. Metam. L. 8. & 295. seqq. apri nimirum, quem miserat Diana.

Diffugiunt populi: nec se, nisi moenibus vrbis
Esse putant tutos: donec Meleager, & vna
Lecta manus iuvenum coiere cupidine laudis.
Tyndaridae gemini, spectatus caestibus alter,
Alter equo: primaeque ratis molitor Jason.

caet. nam omnia venatorum nomina referre longum. Victor exuvias donabat amicae:

Ipse pede imposito caput exitiabile pressit:
Atque ita, sume mei spolium, Nonacria, iuris,
Dixit: & in partem veniat mihi gloria tecum.
Protinus exuvias rigidis horrentia setis
Terga dat, & magnis insignia dentibus ora.
Illi laetitiae est cum munere muneris auctor.

(4.) Cic. Tusc. quaest. L. 4.

(5.) Demetrius apud Plutarchum in Solone.

(6.) Plin. L. 8. c. 16. Athen. L. 9. Ael. var. hist. L. 4. c. 19.

venatoribus nota erant, ab iis accipiebat & in rem ſuam conferebat. Fuerunt igitur primi hiſtoriae naturalis cultores agricolae & venatores atque eo magis in ea verſatus erat, quo quisque erat in ſua arte peritior.

§. 3.

Verum agricultura & venatio ea ſolum ſpectabat animalia, quae terrae cuique erant indigenae. Jam videamus, qua ratione & peregrina animalia paulatim innotuerint. LVXVRIA hominum, cui complures artes & vtiles & ingenioſae ortum ſuum & incrementum debent (quamquam hoc ii non fere cogitant, qui quidquid luxurioſum videtur damnant) & ex exteris, remotis & transmarinis regionibus arceſſivit animalia. Nam quod natura fert in omnibus rebus, vt eae, quae patriae ſunt & quotidianae, quando, quomodo eis vtendum ſit, excogitatum eſt, vileſcant; & novae & exterae quaerantur & amentur, hoc quoque in animantibus evenit. Qua re neſcio an vlla vnquam gens Romanae antecelluerit. Nam exaedificabant magno ſumtu atque labore vaſta vivaria, leporaria, ingentia aviaria & piſcinas capaciſſimas, quae animalibus omnis generis ex remotiſſimis terris & maribus arceſſitis erant referta. Vivaria, quae Graeci vocabant θηροτροφεῖα (1.) erant loca ſepta, in quibus ferae vivae

 paſcun-

(1.) Antiquis etiam dicta ſunt roboraria. Gell. 2, 20.

pascuntur. Ea primus togati generis invenit Fulvius Lupinus, qui in Tarquiniensi feras pascere instituit, cui nec imitatores defuere L. Lucullus & Q. Hortensius. (2.) Iis concludebant & alebant apros & cervos & damas & oryges & capreolos. (3.) Atque omnia animalia, quae modo lautitiis & voluptatibus dominorum serviebant, modo quaestui ac reditibus. Idem ille Fulvius Lupinus gliribus instituit gliraria (4), quin etiam cochlearum vivaria, distinctis quidem generibus earum, separatim vt essent albae, quae in Reatino agro nascebantur: separatim Illyricae, quibus magnitudo erat praecipua: Africanae, quibus foecunditas: Solitanae, quibus nobilitas. (5.) Vixit Lupinus seu Hirpinus paullo ante civile bellum, quod cum Pompeio M. gestum est. Aviaria primus instituit, inclusis omnium generum avibus, M Laenius Strabo Brundisii equestris ordinis. (6.) Ostrearum vivaria primus omnium Sergius Orata invenit in Baiano, aetate L. Crassi oratoris, ante Marsicum bellum.

(2.) Plin. L. 8 c. 52.

(3.) Colum. L. 8 c. 1, 1.

(4.) Plin L. 8. c. 57.

(5.) Plin. L. 9. c 56. vbi quidem Hirpinus, non Lupinus appellatur, sed idem esse nomen docet Harduinus.

(6.) Plin. L. 10. c. 50 *Ex eo coepimus*, inquit *carcere animalia coercere, quibus rerum natura caelum assignaverat.*

lum. (7.) Eadem aetate prior Licinus Muraena piſcium vivaria excogitavit. Attamen vetus jam illa Romuli & Numae ruſtica progenies inceperat dulcibus aquis marinos piſces claudere; adeo quidem, vt non ſolum piſcinas ipſi conſtruerent, ſed etiam quos rerum natura lacus fecerat, convectis marinis ſeminibus replerent. Inde Velinus, inde etiam Sabatinus, & item Vulſinenſis & Ciminus lupos auratasque procreaverunt aetate Columellae. (8.) Poſtea etiam moles in mare jaciebant, quibus piſces marinos lautitiae locupletum claudebant & ſaginabant. Ita gulae ſtudentes permultos dederunt & mari & terrae incolas novos. Exemplo eſt Scarus piſcis, qui mari Carpathio quidem maxime frequens erat & totius Aſiae Graeciaeque littoribus, Sicilia tenus frequentiſſimus aevo Columellae exibat, nunquam vero tunc temporis in Liguſticum, nec per Gallias enavabat ad Ibericum mare. Verum poſtea hoſce piſces e mari natali advectos Tiberio Claudio principe, Optatus Elipertius praefectus claſſis, inter Oſtienſem & Campaniae oram ſparſos diſſeminavit. Quinquennio fere cura adhibebatur, vt capti redderentur mari, quare factum eſt, vt frequentes invenirentur Ita-

(7.) Ib. L. 9. c. 54.

(8.) Colum. de re ruſt. L. 8. c. 16. qui quomodo iſtius modi piſcinae faciendae ſint, docet. Vide Stuckium 2, 10. antiquit. convival. p. 169.

Italiae in littore aetate Plinii, quae his piscibus principatum dabat. (9.) Atque hac pisces disseminandi ratione etiam vsa est recentior aetas. Non erat acipenser Ruthenus Lin. Syst. nat. 118. 2. (quem hic Petropoli frequentem permagnifaciunt ob saporem.) in Suecia olim, antequam rex Fridericus I. eum in Maelero Sueciae pasci jusserat; neque Carpio (Karpe) erat ante annum 1600. in Anglia; neque cancer in Suecia (10) nec aper, vt omittam alia animalia & in primis ea quae nova accepit America, vti sues, equos. Ista vero veterum vivaria & piscinae, in quae cogebant, quaecun-

(9.) Colum L. 8. c. 16. Plin. L. 9. c. 17. Piscem hunc inter Labros Linnaei esse Syst nat. 142, 1. eumque etiamnum frequentem in Graeciae littoribus, Sicilia tenus, in eo quidem conveniunt & Artedus & ill. Linnaeus, sed neuter eum vidit. Nomen Meerbrassen, quod ei imponunt Lexicographi & cl. Denso, illud quidem prorsus falsum, cum, qui hodie ita vocatur in numero Sparorum Linnaei & Synagridum Kleinii sit.

(10.) Die Krebse sind erst ungefehr in den Zeiten des K. Carls IX. nach Schweden, und zwar in die zu dem Königlichen Tafelguthe Gripsholm gehörende See gekommen. Wie rar sie noch 1649 daselbst gehalten sind, erhellet aus dem Briefe der Königin Christina an den Landshauptmann zu Upsasa, worinn aller Krebsfang um Upsala herum verboten wird, damit man keinen Mangel bey der bevorstehenden Krönung haben möchte. Stockholm. Magazin 3. Th. 187. S. & ibidem de apris.

cunque animalia aliubi atque aliubi meliora erant, non tantum in eo profuere hiſtoriae naturali, quod ita peregrina noteſcerent, ſed etiam quod his, qui rerum naturae latebras ſcrutabantur, occaſionem praeberent & facultatem in naturas ac mores animalium inquirendi, qua profecto vſi ſunt diligenter. Cujus rei exempla paſſim occurrunt. In piſcinis piſces ad nomen venientes videbant & inde coniiciebant, eos, etiamſi nec membra nec foramina auditus habeant, audire. (11.) Praebebant quoque interdum piſcinae memorandae longaevitatis piſcium exempla. In Caeſaris piſcinis a Pollione Vedio coniectum piſcem, ſexageſimum poſt annum expiraſſe, duobus aliis aequalibus eius ex eodem genere viventibus,

(11.) Plin. L. 10. c. 70. & Martial. L. 4. epigr. 30.

Sacris piſcibus hae notantur vndae,
Qui norunt dominum, manumque lambunt
Illam, qua nihil eſt in orbe maius.
Quid quod nomen habent, & ad magiſtri
Vocem quisque ſui venit citatus?

Haud quaquam hodie piſcium auditus liquide conſiſtit. Eos audire negat Wil. Anderſon in philoſ. tranſ. n. 486. negat & Baker. Hamb. Magaz. Th. 5. S. 655. quamquam & noſtro tempore ſunt, qui piſces ad voces venientes viderunt, quod in primis de Cyprinis auratis, quibus Chinenſes tantopere delectantur, conſtat. Abhandl. der Schwed. Akadem. 2. Th. 182. S.

bus, proditum est. (12.) Alvearia vimine vulgo texta erant, sed fuit jam inter Romanos, qui alveum cornu laternae translucido fecit, quo melius posset observare:

Admiranda — levium spectacula rerum,
Magnanimosque duces: totiusque ordine gentis
Mores & studia & populos & praelia —

Ne credas igitur, immortalem Reaumurium primum eiusmodi alvearia translucida fecisse. (13.)

§. 4.

Insatiabilis illa aviditas nova videndi, audiendi, sciendi, hominibus a Deo indita recte mater & nutrix omnium litterarum potest vocari; atque eidem etiam plurima debet historia naturalis. Nam non hodie demum pul-

cri-

(12.) Refert hoc ex Annaeo Seneca Plin. L. 9. c. 53. Etiam recentiores physici longaevitatem piscium annotarunt. Vidit Buffon Carpionem 150. annorum, vt non dicam de eo, cui annexerat annulum Fridericus II. Imperator. Continua & vehemens aeris iniuria abrumpit fata hominum, cui pisces quidem non sunt obnoxii, quorum nec spinae & cartilagines indurescunt. Voluerunt quidam piscium aetatem ex incrementis annuis vertebrarum & squamarum coniicere, quod quidem nondum satis probatum credo. conf. Buffon Naturhistor. 1 Th. 1 B. 148. S. & Abhandl. der Schwed. Akadem. 21. Th. 217. S.

(13.) Plin. L. 11. c. 16.

critudo animalium & miranda eorum natura cepit animos hominum; ſed vetuſtiſſimo jam tempore ſumma diligentia animalia conquiſiverunt & aluerunt. Summa pavonis pulcritudo, quando primum in Graeciam apportabatur, omnium oculos in ſe convertit. Omnes Athenienſes & viri & feminae eum pretio adeo ſpectatum catervatim concurrebant, ita vt hi, qui eum populo ſpectandum praebebant, magnum quaeſtum fecerint. Vnum pavonum par, mas & femina mille tunc temporis drachmis aeſtimabatur. (1.) Qua cupiditate & volu-

(1.) Aelian. hiſt. an. L. 5. c. 21. λέγεται δὲ ἐκ βαρβάρων εἰς Ἕλληνας κομισθῆναι, καὶ χρόνου πολλοῦ σπάνιος ὤν, εἶτα ἐδείκνυτο τῶν ἀνθρώπων τοῖς Φιλοκάλοις μισθοῦ. Καὶ Ἀθήνησί γε ταῖς νουμενίαις ἐδέχοντο καὶ ἄνδρας καὶ γυναῖκας ἐπὶ τὴν ἱστορίαν αὐτῶν. Καὶ τὴν θέαν πρόσοδον εἶχον. Ἐτιμῶντο δὲ τὸν ἄρρενα καὶ τὴν θῆλυν δραχμῶν χιλίων, ὡς Ἀντιφῶν ἐν τῷ πρὸς Ἐρασίστρατον λόγῳ φησί. *Primum longo temporis intervallo rarus; deinde ſtudioſis elegantiae & pulcritudinis, pretio ſpectatus fuit Athenis, vbi ſingulis menſium calendis & viros & mulieres admittentes ad huiusmodi ſpectaculum ex eo quaeſtum fecerunt; atque, vt in oratione contra Eraſiſtratum Antiphon inquit, marem & feminam mille drachmis aeſtimarunt.* Addit etiam Aelianus: Alexandrum Magnum apud Indos pavones vi-

luptate gentes quaecunque novas beſtias viderint & olim, demonſtrant etiam Avores, qui a Mauritio Imperatore ſibi elephantum rogabant, eum videndi cauſſa, quem acceptum viſumque poſtea imperatori remittebant. (2.) Roma quidem, quin vlla vnquam vrbs fuerit, quae plura & maiora animalia exotica viderit, valde dubito. Populus Romanus mirabili cupiditate beſtias e terris transmarinis & remotiſſimis videndi flagrabat, vt qui populo placere ſtudebant, operam darent, vt quam plurimas beſtias vel nunquam antehac vel raro Romae viſas in ludis & circis darent. Nam quod Aurelius Victor de Octavio Auguſto (3.) re-

videntem, admiratione harum avium adeo captum eſſe, vt in hos, qui eas occiderent, gravem poenam ſtatuerit. Sed Freinshemius ad Curt. L. 8. c. 9. probatum it, Pſittacum, non pavonem fuiſſe eam avem, quam adeo admiratus eſt Alexander M. atque hoc etiam mihi veriſimile fit, cum Antiphon, cuius verba hic laudat Aelianus multo Alexandro prior fuerit. Viderat ergo ſaepius jam pavones in Graecia Alexander, hiſtoriae naturalis non indiligens cultor. conf. Bochart. L. 2. c. 16. p. 241. vbi vult ex India pavones allatos eſſe, atque recte hoc quidem, cum & recentiores Indiam pavonum patriam eſſe probent. Naturae hiſtorici, qui verba propria eaque brevia amant, accipiant a Columella L. 9. c. 11. verbum *rotare*. Nam cum pavo ſemetipſum, veluti mirantem, caudae gemmantibus pennis protegit, *rotare*, Latinis dicitur.

(2.) Cedrenus.

(3.) refert, eum oblectatum esse omni genere spectaculorum; praecipue ferarum incognita specie & infinito numero, idem de vniverso populo Romano dici potest.

Leonum simul plurium pugnam Romae primus dedit Q. Scaevola P. Filius in curuli aedilitate, qui consulatum gessit anno vrbis DCLIX seu circa an. ante Christum natum 92. Plinius annalibus notatum legerat, M. Pisone, M. Messala coss. i. e. circa annum mundi 3889. seu ante Christum nat. 59. Domitium Ahenobarbum aedilem curulem centum leones & totidem venatores Aethiopas in circo dedisse. (4.) Leones centum, eosque solutos, cum antehac alligati darentur, primus in circo dedit L. Sulla in praetura, ad conficiendos eos missis a Boccho Mauritanorum rege iaculatoribus. (5.) Antonius Verus Imperator adeo in editione munerum magnificus fuit, vt centum simul leones exhibuerit (6.) Tantam leonum videmus copiam Romam transvectam, vt necessario defecissent & exstirpati essent, nisi lege prohibuissent, leones capere, vt ad specta-

(3.) Sex. Aurelii Victoris histor. Augustae epitome apud Sigonium p. 532

(4.) Plin. L. 8. c. 37. vide de hoc loco, quae infra c. 3. §. 5 in fine dicturi sumus.

(5.) Plin. L. 8. c. 16. Seneca de brevitate vitae c. 13.

(6.) Eutropius Lib. 8. & M. Aurelii Chronicon, apud Sigonium p. 613.

ctaculorum vſum numerus ſufficeret. Attamen cum hac ratione eorum multitudo ad damnum provinciarum invaleſcebat, permittebant Impp. Honorius & Theodoſius venari eos, ſed non capere vivos, nec vendere, nec in Italiam transferre. (7.)

Elephantos, poſtquam primum Italia in bello cum Pyrrho rege viderat anno vrbis quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, ſeu circiter an. ante Chriſtum nat. 279. primus Curius Dentatus eos in triumpho duxit. (8.) Metellus

(7.) L. 1. occidendor. c. th. de venatione ferarum. Verba ipſa legis haec ſunt: *Occidendorum leonum cunctis facimus poteſtatem, neque aliquam ſinimus quemquam calumniam formidare. Beſtias autem, quae ad comitatum ab omnibus limitum ducibus transmittuntur, non plus quam ſeptem diebus intra ſingulas civitates detineri praecipimus: violatoribus eorum quinas libras auri fiſci iuribus illaturis.* Plura vide ibi apud Gothofredum.

(8.) Plin. L. 8. c. 6. & Seneca l. c. Plinius quidem ipſe L. 7. c. 43. L. Metellum primum elephantos ex primo Punico bello duxiſſe in triumpho perhibet. Sed ipſe cur hic honor Metello a quibusdam tribuatur docet L. 8. c. 6. vbi *plurimos* Metellum duxiſſe addit. Hanc veram eſſe diſſenſus rationem, vel exinde etiam intelligitur, quod Curius quatuor tantum elephantos habuit referente Eutropio L. 2. qui numerus omnino avido eiusmodi ſpectaculorum populo exiguus videretur neceſſe erat. Verum de hac re ſatis, ne operoſe nihil agere videamur, quod de iis, qui in littera-

lus vero, poſtquam in Sicilia Afrorum ducem cum CXXX. elephantis ſuperaverat, & XX. beſtias ceperat, reliquosque errantes collegerat, ingentem immanium belluarum vim ratibus, quas doliorum conſertis ordinibus impoſuerat, transvexit in Italiam. Plinius centum quadraginta duos refert; Florus centum circiter; Epitome Livii & Seneca centum & viginti; atque Eutropius demum CXXX. transvectos eſſe. (9.) Quicunque demum verus harum belluarum quas in Italiam transvexit Metellus, numerus fuerit, tantus fuit profecto, quantum ſine controverſia vrbs nulla in vniverſa Europa vidit vnquam. Miramur magnam oſſium copiam, quae quotannis in Sibiria e terra eruuntur, quaeque elephantorum partim, partim rhinocerotum haud dubie eſſe, vnusquisque cenſet, qui ea cum ſceleto elephanti, quod in diviti Academiae Imperialis, quae hic floret, muſeo aſſervatur, comparat; ſed mirandum etiam, niſi in Italia, Sicilia aliisque Italiae vicinis regionibus copia oſſium elephantinorum aliquando inveniatur & effodiatur. (10.) Nam nec artifi-

terarum inutilium ſtudiis detinentur, dicit Seneca loco laudato, quo adeo exempli gratia hanc de elephantis diſputationem nominatim damnat.

(9.) Plin. L. 8 c. 6. Florus L. 2. c. 2. Seneca. l. c. Eutropius L. 2.

(10.) Hocce ebur foſſile, quod dico, vocatur a Ruſſis *Mamantovacoſt*. Sculpunt artifices mira arte hoc

tificum manus ea omnia absumere potuisse verisimile est. (†)

Quanta est bellua, quanta est moles Crocodilus, & nihilo minus eum Roma vidit, eumque non mortuum, sed vivum, sed in euripo, nec vnum, sed quinque, atque adeo multo antequam Aegyptus in ditione erat Romana. Etenim iam M. Scaurus primus quinque crocodilos temporario euripo Romae ostendit; (11.) osten-

hoc ebur & tornant in varias figuras, cuiusmodi toreumata hic venditantur. Possideo ipse vertebram, cuius longitudo 2′ 6″ Lond quae eruta est in Ingria, vbi rarius ossa reperiuntur. Ita pulcre & affabre arrosa est, vt ne Daedalus quidem, si vel maximo vteretur artificio, idem opus imitatione posset exprimere. Juvabit legere celeberrimi Hollmanni dissertationem de istiusmodi ossibus effossis, quae est inserta Comment. Acad. Scien. Goettingensis. Veteribus iam ebur fossile notum fuisse & Theophrasti iam tempore ossa e terra interdum eruta esse, vel e Theophrasti libro περὶ λιθων constat, quem Plin. L. 36. c 8 ita laudat: *Theophrastus auctor est & ebur fossile, candido & nigro colore inveniri & ossa e terra nasci, invenirique lapides osseos.*

(†) Nimirum etiam ossa in laminas secabant, cum ebur omne luxuria absumserat. Ita enim Plin. L. 8. c. 3. *quamquam nuper ossa etiam in laminas secari coepere penuria. Etenim rara amplitudo iam dentium, praeterquam ex India reperitur; caetera in nostro orbe cessere luxuriae.*

(11.) Plin. L. 8. c. 26. & Solinus c. 32. Crocodilum interdum Venetias transvehi, ex Alpino refert Linnaeus amoen. Acad. T. I. p. 191.

oſtenderunt vero poſtea & alii v. gr. Antoninus Pius. (12.)

Perpauca muſea habent Hippopotamum, & qui phyſici multorum viſerunt animalium exuvias, viderunt raro admodum illam feram. (13.) Sed habuit eum Roma eodem tempore, quo crocodilum, vivum in euripo; (14.) habuit poſtea multos eos ſimul regnante Antonino Pio.

Pantheras, quae & variae & Africanae vocantur, ne liceret in Italiam advehere, fuit vetus ſenatus conſultum. Mirum profecto, ſi hoc valuiſſet diu. Sed nec valuit. Nam tulit contra illud ad populum Cn. Aufidius cum gereret tribunatum, quem geſſit anno vrbis DCLXX. permiſitque circenſium gratia importare. Nondum huius ſenatus conſulti mentionem niſi apud Plinium & nec rationem apud auctores inveni; quare neſcio, num inde con-

(12.) Julius Capitol. in vita Anton. P.

(13.) Equidem vidi Hippopotamum Lugduni Bat. in muſeo Academico. Capitis ſceletum huius belluae eſt etiam in collectione rerum naturalium numeroſiſſima, quam poſſidet cl. Tesdorf Lubecae, qui hiſtoria naturali maxime peritus, tempore, quo a negotiis vacat, litteris & in primis huic eruditionis parti operam navat eamque ornat. Nomen Hippopotami reddatur Nilpferd, Meerpferd, perperam Wallroß, quod nempe nomen generi cuidam balaenarum a recentioribus inditum eſt.

(14.) Plin. l. c.

iicere possimus, iam ante hoc s. c. advectas esse pantheras in Italiam, an Senatus damno invecto voluerit occurrere. Fortasse eadem ratio fuit, quae vetuit in quibusdam Germaniae regionibus vrsos spectaculi caussa importare, cum bestiae aliquando vel per incuriam, vel per malitiam ducum vitae spectatorum nocuerint; (††) id quod ideo mihi probatur, quia prohibitum erat leones capere vivos eosque vendere & traducere. Postea vero quam Aufidius pantheras Romam ducere permiserat, primus Scaurus aedilitate sua circa annum vrbis DCLXX. centum quinquaginta vniversas, i. e. simul misit: dein Pompeius Magnus quadringentas decem: divus Augustus quadringentas viginti. (15.)

Tigris sero Romam venit. Nam Augustus demum anno vrbis DCCXLIII. primum omnium ostendit in cavea mansuefactum, Theatri Marcelli dedicatione; dein ostendit Claudius (†††) simul

(††) Redibunt sine dubio lectoribus in memoriam, quae per aliquot menses in actis publicis de eo animali, quod hyaenam vocarunt, quodque in quibusdam Galliae regionibus, cum e vivario Augustae Taurinorum per incuriam custodum eruperat, multas turbas magnasque strages dedit, relata legimus.

(15.) Plin. L. 8. c. 17. Caelius a Cicerone petiit aliquoties, vt sibi pantheras e Cilicia mitteret; quod cuique ex epistolis Ciceronis ad diversos constat.

(†††) Plin. l. c. Dio in Augusto 53. καὶ Ἰνδοὶ, προκηρυκευσάμενοι πρότερον φιλίαν τότε ἐσπεί-

ſimul quatuor; poſtea vero ſaepius fuere Romae, v. gr. tempore Domitiani, Antonini Pii, Gordiani III, qui decem habuit, Aureliani, qui quatuor, caet. (16.)

Recentior aetas raro admodum vidit immanem illam belluam Rhinocerotem. Vnum vidit an. 1515. Portugallia, Emanuele imperante, quem rex Romam mittebat, ſed qui in itinere, poſtquam ſe vinculis liberaverat, peribat. (17.) Vnum vidit & Anglia an. 1685. & iterum 1739. & 1741. ducebatur Rhinoceros per vniverſam fere Europam, atque hic, quan-

ἐσπείσαντο, δῶρα πέμψαντες ἄλλατε καὶ τίγρεις πρῶτον τότε Ρωμαίοις ὀφθεῖσας. *Et Indi, qui antea quoque legatos miſerant, tunc amicitiam datis muneribus confirmaverunt, in quibus praeter caetera fuerunt tigres, quae tunc primum a Romanis viſae ſunt.* Sunt qui dubitant, quin nos iisdem animalibus nomina inponamus Panther & Tigris, quibus ea apud veteres fuere; verum non eſt quod dubitent mea quidem ſententia.

(16.) Martial. epig. 105 & 18 Spect. Julius Capitolinus in vita Antonini P. Lampridius in Elagabali, Capitolinus in Gordiani III. Vopiscus in Aureliani vita, vbi deſcribit triumphum de Zenobia.

(17.) Damianus de Goes, quinta parte Chronici rerum geſtarum Emanuelis regis Luſit. c. 18. fol. 276. auctor eſt, anno 1517. menſe Februario, ludis Oliſipone ab eo rege exhibitis, pugnaſſe cum elephante rhinocerotem. Harduinus in notis & emendat. ad Lib. 8. Plin. n. LVII.

tum mihi constat, vltimus fuit, qui in Europam transvectus est. Verum Roma non semel tantum & iterum vidit hanc bestiam, sed saepius. (18.) Aderat ludis Pompeii Magni, ornabat triumphum Augusti de Cleopatra, (19.) fuit Romae temporibus Domitiani, (20.) Antonini Pii & Gordiani itemque Elagabali & Heraclii (21.)

Camelopardalem primum exhibitam esse Circensibus ludis Dictatoris Caesaris anno vrbis conditae DCCVIII. memoriae prodidere & Dio & Plinius, qui ex eo subinde Romae fuisse addit. (22.)

Lyncem quoque Romae visam esse e tanta animalium ferorum multitudine, quae ex patria eius ibi fuerunt, facile coniicitur; etiamsi eius adventum non prodidisset quisquam. Verum Plinius etiam hac de re nos certiores fecit. Pompeii Magni ludi primam etiam lyncem ostendere, (23.) iidemque etiam genus Si-

(18) Plin. 8. c. 20.

(19) Dio Lib. 15.

(20) Martial.

(21) Hoc memoriae prodidit Lampridius.

(22.) Camelopardalis hodie fere dicitur Giraffe. Loca laudata sunt apud Dion. L. 43. & Plin. L. 8. c. 18.

(23.) Plin. L. 8. c. 19. vbi quidem lyncem vocat Chaum, vel, vti alii legunt Chama.

Simiarum Aethiopicum, quod Cephum vocant, quod poſtea Roma non vidit. (24.)

Titus Veſpaſianus quinque millia ferarum in dedicatione amphitheatri a ſe aedificati occidit. Quis tantum ferarum numerum vnquam vlla in vrbe ſimul eſſe occiſum, quis tanta ſaevitia Imperatorem, qui amor & deliciae generis humani appellabatur, fuiſſe crediſiſſet vel graviſſimo hiſtorico, niſi Romae hoc factum, niſi imperatorem fuiſſe Romanum dixiſſet? (25.) Claudio principe portum Oſtienſem (oſtia eſt vrbs Italiae in oſtiis, ſeu vt Livius loquitur in ore Tiberis,) exaedificante, orca (genus marinarum belluarum maximum) eo venerat, invitata naufragiis tergorum ſeu coriorum advectorum e Gallia: ſatiansque ſe per complures dies, alveum in vado ſulcaverat; accumulata fluctibus in tantum, (26.) vt circumagi nullo modo poſſet: & dum ſaginam perſequebatur, in littus

 fluєti-

(24.) Plin. l. c. Haud eſt mea quidem ſententia, quod dubitet Harduinus, quin κηπος ſeu Cephas e ſimiarum genere, cuius mira varietas, fuerit.

(25.) Non licet rem in dubium vocare. Nam refertur non ſolum ab Eutropio L. 7. in fine, ſed etiam a M. Aurelio Caſſiodoro in Chronico apud Sigonium p. 608.

(26.) Enarrat hoc Plin L. 8. c. 6. cuius etiam verbis vſi ſumus, quae Harduinus ita explicat: *obruta ventorum flatu congeriem arenae accumulantium.* Recte ita quidem, ſed minus recte Cl. Denſo: er war ſo tief mit Waſſer überſchwommen.

fluctibus propulsa, emineret dorso multum supra aquas instar carinae inversae. Praetendi iussit Caesar plagas multiplices inter ora portus: & (atque haec caussa est, cur haec referam) profectus ipse cum praetorianis cohortibus populo Romano spectaculum praebuit, lanceas congerente milite e navigiis assultantibus. Huic spectaculo adfuit Plinius, nam addit: *vnum navigium mergi vidimus reflatu belluae opletum vndae.* (27.)

Jam

(27.) Videamus quae sit Orca Plinii. Cl. Denso, qui nuper historiam naturalem Plinii in nostram linguam transferre coepit, nomen hoc reddidit Wallroß. At non agnovit illam belluam, quod pace viri in historia naturali alioquin multum versati dixerim. Bellua illa marina, cui nostrates nomen Wallroß indiderunt, est sine dubio e genere phocarum & Linnaeo quidem Phoca Rosmarus Syst. Nat. 10, 3. itemque Kleinio Quadrup. dispos. §. 43. Orcam vero Plinii nequaquam esse rosmarum sive Wallroß exinde satis intelligitur, quod hic intra Zonam arcticam Europae, Asiae & Americae se vsque continet, nec vltra eam vnquam vagatur, certe nunquam enavat in mare mediterraneum. Phocarum notitiam debemus Stellero in Novis comment. Acad. sc. Petropol. T. 2. Equidem orcam credo esse, quam belluam vocat ill. Linnaeus Delphinum orcam Syst. nat. 39, 3. aut quae vulgo der Northkaper vocatur. Nam hace orca interdum in mare mediterraneum venit, vna cum balaena physalo Linnai, quae vulgo Finnfisch appellatur, id quod Zorgdrager in Grönländische Fischerey edit. 1723. pag.

Jam ſufficiunt exempla allata, quae non poſſunt non lectores in admirationem adducere, ad declarandam inſatiabilem illam aviditatem, qua novas beſtias & incognitas videndi flagravit populus Romanus. Mandabat pontifex maximus litteris res ſingulorum annorum efferebatque in album, in quo etiam ludi & beſtiae, quae in iis, inprimis vero quae tunc primum exhibebantur, ſemper diligenter annotabantur, adeo vt nec annum, quo quaeque beſtia primum Romae viſa eſt, ignoremus. Neque hoc tunc ſolum in annales efferebatur, quando ludi beſtias illas primum oſtendebant verum etiam quando alia occaſione animal innoteſcebat. Allatus eſt phoenix in vrbem Claudii principis cenſura, anno vrbis DCCC. & in comitio propoſitus, quae res etiam actis teſtata eſt; (28.) quamquam vt verum fatear, reli-

pag. 135, 142, 153. prodidit. Vtraque beſtia piſcibus minoribus veſcitur, quam ob rem nec in mediterraneo mari cibus deeſt. conf. Zorgdrager l. c. p. 128 c 142. Atque in hanc belluam, quam orcam eſſe contendimus, i. e. Nordkaper, quam optime conveniunt verba Plinii de ea: *eſt bellua, cuius imago nulla repraeſentatione exprimi poſſit alia, quam carnis immenſae dentibus truculentae.*

(28.) Plin. L. 10. c. 2. Crediderim Harduinum hunc Plinii locum laudato alio Taciti loco recte expoſuiſſe. Nimirum Plinius phoenicem, qui tunc Romae fuiſſe dicebatur, falſum putat, quoniam non poſt annos quingentos, ſed poſt pauciores multo

religionis potius, quam *curiositatis naturalis* res fuit. Sed si qua alia res forte fortuna accidebat, quae ad historiam naturalem animalis, vel indigenae etiam pertinebat, etiam ea in acta referebatur. Exempli gratia: actis populi Romani testatum erat, Appio Junio & P. Silio Coss. cum animadverteretur ex caussa Neronis Germanici filii; in Titium Sabinum & servitia eius, vnius ex his canem nec a carcere abigi potuisse, nec a corpore recessisse, abiecti in gradibus Genistoriis, moestos edentem vlulatus, magna populi Romani corona: ex qua cum quidam ei cibum obiecisset, ad os defuncti tulisse. (29.)

Pro-

multo Romam sit allatus. At cl. Denso verba: *sed quem falsum esse nemo dubitaret*, reddidit ita, nescio qua lectione fretus: Dieß ist in Urkunden bezeuget, daher ihn niemand als erdichtet achten darf. Quod reliquum est, nemo mihi exprobrabit, quod a fabulosa ave argumentum sumsi. Vt sit enim fabulosa, tamen fuerit aliqua rara avis Romae visa eo tempore, necesse est, atque hoc sufficit.

(29.) Plin. L. 8. c. 40. Fortasse etiam huc facit alius Plinii locus L. 7. c. 13. *In actis temporum Divi Augusti invenitur, XII. consulatu eius, Lucioque Sulla collega a. d. III. Idus Aprilis, C. Crispinum Hilarum ex ingenua plebe Fesulana, cum liberis novem, nepotibus XXVII. pronepotibus XXIX. neptibus octo, prolata pompa cum omnibus his in Capitolio immolasse.* Diversa esse acta populi R. & acta temporum Augusti & annales satis constat.

Profuit iſta Romanorum vanitas, de qua egimus, duplici modo hiſtoriae naturali. Nam non ſolum in cauſſa fuit, cur innoteſcerent animalia terrarum exterarum, verum effecit etiam, vt ſpectatores novitate beſtiarum nunquam ante hac viſarum incitati diligentius ad earum naturam & mores animum attenderent. Hinc factum eſt, vt in animalium hiſtoria, quae nunquam Romam allata ſunt, multa falſa, conficta & ridicula multa ſint, verbi gratia in Manticorae, Hyaenae hiſtoria, quae fabuloſis narrationibus referta eſt. Hyaena quidem veniſſe Romam videtur, at certe ſero admodum. (30.) E contrario hiſtoria animalium, quae propter ferocitatem vel corporis molem Romae ſpectantibus admirationem iniecerunt, copioſior eſt & verior. Multi ſunt veteres in deſcribendis Elephantorum, Leonum, Pantherarum moribus, ingeniis vitaeque ratione. Minor erat in animalibus patriis animi attentio, quia non e longinquo veniebant; etſi nec in iis neglexerint, quae cognitu digna ſunt. (31.) Neque vero

(30.) Julius Capitolinus in Gordian III. refert fuiſſe Romae *belbos* (*id eſt hyaenas*, at quaedam modo editiones haec verba adiecta habent.) decem. Sed dubia eſt lectio. Quidam non *belbi* ſed *belluae* legunt, intelligentes hyaenas, quae interdum *belluae* vocatae ſunt.

(31.) Plin. L. 8. c. 40. *Ex his quoque animalibus, quae nobiscum degunt, multa ſunt cognitu digna: fideliſſimumque ante omnia homini canis atque equus* caet.

vero ſatis habebant Romani, ſi Romae animalia eſſent; ſed ea quoque manſueſcere ſtudebant; quaſi non contenti ſervitio incolarum terrarum remotiſſimarum vellent etiam beſtias earum ditioni ſuae ſubiicere, quae res iis proceſſit feliciſſime. Primus hominum leonem manu tractare auſus & oſtendere manſuefactum, Hanno Carthaginienſis traditur, quam artem Graeci vocabant λεοντοτροφίαν. (32.) Romae vero primus leones iugo ſubdidit & ad currum iunxit M. Antonius & quidem civili bello, cum dimicatum eſſet in Pharſalicis campis. Elephantorum quidem admirandam docilitatem aliquoties experti ſunt Romani, in primis cum Tiberii Caeſaris nepos ſpectaculum edebat. (33.) Quin etiam homines ingenti proceritate vel re alia inſignitos Romam advocabant ſpectaculi cauſſa. Columellae aetas vidit in apparatu pompae

(32.) Vſus eſt hoc nomine Aelianus L. 6. hiſt. an. 8. rem ipſam enarrat Plin. L. 8. c. 16. addens Hannonem, cuius etiam mentionem fecit Ael. L. 5. c. 39. damnatum eſſe eo argumento, quoniam nihil non perſuaſurus vir tam artificis ingenii videbatur; & male credi libertas ei, cui in tantum ceſſiſſet etiam feritas.

(33.) Plin. L. 8. c. 1. & in primis Aelian. hiſt. an. L. 2. c. 11. qui totam eos erudiendi rationem expoſuit, quam vocat δαιμόνιαν τινὰ καὶ ἐκπληκτικὴν διδασκαλίαν, & virum, qui ea claruit σοφὸν ἀνέρα. Ars ipſa vocabatur ἐλεφαντοκομία. conf. Lipſii epiſt. 50. cent. 1.

pae Circensium ludorum Judaeae gentis hominem proceriorem celcissimo Germano, ita enim loquitur Columella. (34.) Atque regibus iam olim, quemadmodum etiam nunc fieri solet, ab exteris dono mittebantur animalia rariora ac peregrina. Indi Augusto mittebant tigres, quod modo narravimus; Jubae ex Canaria perducebantur canes duo ingentis magnitudinis; (35.) Alexandro magno in India canum vim rex probabat; (36.) Ptolomaeo mittebatur serpens ingens; (37.) Constantio simia eximiae formae. (38.) Interdum etiam reges mittebant, qui explorarent terram aliquam minus cognitam; & mittebant quidem saepe philosophos. Alexander M in Indiam philosophum Onesicritum ablegabat, & Nero (39.) ad Nili fontes explorandos centuriones duos, qui a

(34.) Columella L. 3. de R. R. c. 8. & Plin. L. 7. c. 16. *Procerissimum hominem aetas nostra divo Claudio principe Gabbarum nomine, ex Arabia advectum IX. pedum & totidem vnciarum vidit.*
(35.) Plin. L. 8. c. 32.
(36.) Curt. L. 9. c. 1.
(37.) Diod. 3.
(38.) Philostorg.
(39.) Seneca Natur. quaest. L. 6. c. 8. *Ego quidem centuriones duos, quos Nero Caesar, vt aliarum virtutum, ita veritatis inprimis amantissimus ad investigandum caput Nili miserat, audivi narrantes, longum illos iter peregisse, cum a rege Aethiopiae instructi, commendatique proximis regibus, penetrassent* caet.

a rege Aethiopiae instructi auxilio & commendati fuerunt proximis regibus. Regum hic nominatim mentionem fecimus, quippe qui historiam naturalem si amant, maxima ei facili negotio incrementa afferunt.

§. 5.

Quamquam bella plerumque litteris & artibus nocent, tamen non nihil etiam incrementi quibusdam doctrinis afferunt; verbi gratia Geographiae & historiae naturali. Tabulae Geographicae & terrarum descriptiones, in quibus praeteritum bellum gestum est, exempla quam plurima praebent. Atque idem etiam vetustissimo iam tempore evenit. Ignorassent veteres Geographiam & animalia & plantas, nisi Alexander M. bellum Indiae intulisset. Nam qui res gestas memoriae mandabant, debebant etiam vrbes, flumina totamque terram, in qua eae gestae erant, delineare, neque tunc etiam non enarrabant animalia, quae terrae isti indigenae erant. (1.) Quae animalia bellantes apud

(1.) Plin. L. 9. c. 3. vbi de belluis Indici maris agit, laudat auctores Alexandri M. classium praefectos, e quibus Nearchus, qui rerum ab Alexandro M. gestarum contexuit historiam, quam Strabo, Curtius, Arrianus, Suidas aliique laudant. Dedit Nearchus descriptionem tigris ex pelle, cum animal ipsum non vidisset. vid. Arrianus. Baeton itinerum Alexandri M. mensor de Anthropophagis

apud exteros offendebant nondum antehac visa, ea reduces patriae inferebant. Exemplo est Psittacus, qui Graecis tempore demum Alexandri M. innotuit. (2.) Nec antehæc tempora Elephantos vnquam fuisse in Europa verisimile est. (3.) Reddiderat procul dubio Aristotelis studium bellatores ad res naturales at-

gis Scythis tradidit, quem laudat Plinius L. 7. c. 2. Botanica etiam multa debet Alexandro M. quod e Plin. L. 13. intelligitur.

(2.) De Psittaco iam supra egimus. Vnum tantum Psittacorum genus veteribus notum fuit, de quo Plin. L 10. c. 42: *India hanc avem mittit, sittacen vocat, viridem toto corpore, torque tantum miniato & cervice distinctam.* Hausit quidem Solinus e Plinio, sed c 52. avem paulo diligentius descripsit: *Color psittaco viridis, & intimis plumulis, & extimis palmulis, nisi quod sola cervice distinguitur. Enimvero cervicula eius circulo miniato, velut aurea torqui, pari fulgoris circumactu cingitur & coronatur.* Adscripsi haec verba, vt videant lectores, quam bene haec omnia in Psittacum Linnaei Syst. nat. 44, 9. conveniant, quem si quis delineatum videre cupit, adeat Albins Natural history of Birds 3. T. 14. Patriam Psittaci indicat etiam Ovidius Amor. 2, 6, 38. *Psittacus extremo munus ab orbe datum.*

(3.) E Curtio constat L. 8. c. 12. Alexandrum secum habuisse elephantos. Rex Indorum ad montem Parapamisum Omphis (aliis Taxiles) dictus L. VI. elephantos Alexandro M. dono misit, multaque pecora eximiae magnitudinis.

attentiores. (4.) Ponto & Armenia ſubiugatis ceraſos primus Lucullus e Ceraſunte in Italiam pertulit. (5.) Caeſar, cum res a ſe ipſo geſtas in Germania Romanis tunc terra minus nota, exponeret, ſatis diligenter pro imperatore & duce deſcripſit feras, quae nondum Romae viſae erant & a reliquis maxime differebant. (6.) Quin etiam civium accuſabant deſidiam, qui patriae notitiam rerum naturalium, quae in ea regione erant praecipuae & cognitu maxime dignae, in qua bellum geſſerant, non intuliſſent. Tus Plinii aetate ignotum erat (nec eſt quod nos quidem miremur, cum neque hodie arboris natura conſtet.) cum Romani saepius in Arabia res geſſiſſent, quod male habuit Plinium. (7.) Nemo vero inter veteres maiori ac

(4.) At nondum, teſte Bocharto, notus fuit Ariſtoteli Rhinoceros, bellua, quae neceſſario omnibus, qui eam vidiſſent in India, admirationem moviſſet; quare hoc mirum videtur.

(5.) Plin. 15, 1. 5. Hieron. ad Euſtoch. ep. 19.

(6.) Caeſar de bello Gall. L. 6. c. 25. *Multa in Hercinia ſilva ferarum genera naſcuntur, quae reliquis in locis viſa non ſunt; ex quibus quae maxime differunt ab caeteris & memoriae prodenda videantur, haec ſunt caet.*

(7.) Plin. L. 12. c. 14. *Nec arboris ipſius, quae ſit facies conſtat. Res in Arabia geſſimus & Romana arma in magnam partem eius penetravere. C. etiam Caeſar Auguſti filius inde gloriam petiit, nec tamen ab vllo (quod equidem ſciam) Latino ar-*

ac diligentiori ſtudio animalia & res naturales caeteras terrae cuiusque, de qua agebatur, enarravit & deſcripſit, quam Herodotus, adeo vt poſteri dudum hauſtis ex eo nihil addere potuerint. (8.) Atque etiam Ovidius relegatus ab Auguſto in Pontum regionem Romanis minus notam Halieuticon, id eſt volumen de piſcibus inchoabat, eo potiſſimum conſilio, vt diſcerent cives, quinam piſces in Ponto praecipui naſcerentur. Hoc enim Naſoni propoſitum fuiſſe, exinde mea quidem ſententia intelligitur, quod Plinius nomina ex iſto opere piſcibus a ſe enarratis addidit, *quae*, inquit, *apud neminem alium reperiuntur, ſed fortaſſe in Ponto naſcuntur.* (9.)

arborum earum etiam tradita eſt facies. conf. Michaelis Fragen an die Reiſenden in Arabien p. 72.

(8.) Adſcribam exempli cauſſa locum aliquem, quem librum evolvens primum offendo. Enea, quae de animalibus Libyae addit Melpom. p. m. 325. edit Stephani: *τοσαῦτα μέν νῦυν θηρία ἡ τῶν Νομάδων λιβύων γὴ ἔχει, ὅσον ἡμεῖς ἱστορέοντες ἐπὶ μακρότατον οἱοὶ τε ἐγενόμεθα ἐξικέσθαι.* *Tot habet feras Libyum paſtoralium regio, quantum nos maxime ſcrutando longiſſime inveſtigare potuimus.*

(9.) Plin. L. 32. c. 11. Inchoavit modo Ovidius hoc volumen ſupremis ſuis temporibus: Hodie fragmenta tantum ſuperſunt, quae paulo ante mor-

§. 6.

Quantum Geographia mercaturae, tantum etiam eidem historia naturalis debet. Mercatores enim pervagantes omnia maria ac terras vel remotissimas, conquirunt quidquid vbique vtile offendunt & reportant secum in patriam. Mercatorum diligentia eruit e fundo maris vniones, e visceribus terrae metalla, & apportat quidquid praecipuum & vtile quatuor illae orbis partes ferunt, & quinta, si reliqua esset, nec eam intactam relinqueret. Mercatorum ingenium primum fere vsum rerum naturalium excogitat & docet, & labor eorum copiam istarum rerum praebet populo edocto. E physicis vero, postquam iam dudum a mercatoribus admoniti sunt, tandem aliquando vnus vel alter eam regionem, quae illas res mittit, adit, investigaturus accuratius earum naturam atque rationem. Jam dudum mercatores quotannis magnam copiam coccorum, magnam vim salis ammoniaci praebuerant, antequam phy-

tem edidit Conr. Gesnerus; modo ea Ovidii sint. Poetas aeque ac pictores oportet naturam imitari, cuius vero admirabilis pulcritudo parum in vrbe Ovidio poterat innotescere. Tum autem exul, remotus a strepitu vrbis & aulae, in Ponto, in terra frigida & aspera, vbi minus erat Veneris imperium, nec habebat sua castra Cupido, ibi non poterat non admirari rerum naturam, ibi canebat pisces, non amores, quos & ipse vsque ad ravim & alii satis cantitaverant.

physici quidnam sit coccus, quid sal ille rescibant. Jam dudum physici vsi sunt sale illo, qui Borax siue Tincal vulgo vocatur, mercatoribus quidem, quantum iis opus sit, satis notus, physicis non item. Quam desidiam physicis hodiernis exprobrat sal Borax (etsi non nescius sim, multos iam de hoc sale eiusque ortu disputasse) eandem dudum exprobravit vetustissimis physicis elephas. Nomen hoc ab auctoribus recentioribus e. c. a Caesare, Plinio, Solino, ab Aristotele, Aeliano aliisque tribuitur animanti terrestrium maximo, verum apud auctores hisce priores notabat illud tantum, quod illi vocarunt postea Ebur; e. gr. apud Homerum, Pindarum aliosve his aequales. (1.) Nunquam quisquam ante Alexandri M. tempora elephantis animalis meminit. Postea vero Graeci illam bestiam videntes, cuius dentes, seu cornua (nam cornua esse ebur primi, quibus animal in conspectum veniebat, temere credidere (2.) iam dudum noverant, animali

 ipsi

(1.) Homer. Odyss. δ v. 73. & v. 141. Iliad. ε Odyss. Σ & Pindarus Olymp. od. 1. v. 2. vbi Pelopem vocat: - - - ἐλέφαντι φαίδιμον
ὦμον κεκαδμένον.
Interdum tamen elephantus poetis etiam recentioribus ebur est, vti Virgilio Aen. 3. v. 464.
Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto.
(2.) Rectius jam Hebraei ebur vocarunt dentes, non cornua. Nam vndecunque etiam vltima

pars

ipſi nomen illud, quo antehac dentes deſignaverant, indiderunt, id eſt vocarunt etiam animal ipſum Elephantem. Atque haec ratio eſt, cur non poſſimus ſententiae viri eruditiſſimi Wachteri aliorumque accedere, qui perſuaſum eunt, elephantem a Graecis ita vocatum eſſe ab Hebraeorum אַלּוּף i. e. *bos* quam originationem exemplo Romanorum comprobant, qui & ipſi boves appellarunt elephantos. At nihil hic valet Romanorum ſimilis nominandi ratio. Nam tum demum bovis nomen iis impoſuerunt, cum ipſis eos videre primum contingebat; Graeci vero iam antequam compertum habebant, cuiusnam animalis ebur illud ſit, ebur hoc ipſum appellarunt elephantem. (3.) Idem quo-

pars vocis שֶׁנְהַבִּים ſit derivanda, prima ſine dubis שֵׁן i. e. dens eſt. conf. Bochartus L. 2. c. 23. p. 247 qui ibidem pag. 252. refert, nullam in codice ſacro eboris vſus mentionem fieri ante Salomonis tempora, qui cum ex India elephantos & multum ebur curaſſet in Judaeam advehi; grande ſolium ex ebore ſibi conſtrui iuſſit.

(3.) Wachterus in Gloſſario T. I. p. 94. Binominis fuit elephas. Nam appellabatur etiam ab Romanis *Barrus*, quamquam hoc nomen rarius occurrit. Hoc quidem Romanum non eſſe, ſed barbarum iam arguit Ammianus 26, 22. Inveſtigavit etiam huius nominis etymologiam Wachterus l. c. Docet nomen *Baer* ſignificare animal ampliſſimo ſenſu, atque e primitiva lingua in reliquas fluxiſ-

quoque eam refellit ſententiam, quae eſt apud Iſidorum, (4.) Graecos elephantem a magnitudine corporis vocaſſe, quod formam montis praeferat, cum Graece mons ὁ λόφος dicatur. Arabes, qui primi viam in Indiam aperuiſſe videntur, ibi mercata aromata, Gummi & ebur aliis gentibus apportarunt, & eorum ope etiam Graeci ebur acceperunt. Qui mercatores cum Jaſone in Colchos navigabant, inde reduces Graeciae primas phaſianas intulerunt, quae a phaſide Colchidis fluvio nomen acceperunt. (5.) Ita & reliqui mercatores ſolebant res na-

fluxisſe & variis deinceps flexionibus & mutationibus affectum, diverſis animalium ſpeciebus adhaeſiſſe. Probat hoc exemplis: Haebraeis *bar* eſt bos, *Pere* Onages, *pered* mulus (quidni etiam addidit Peerd, quo equum vocat Saxonia inferior?) Chaldaeis *Beira* elephas, qui Indis *barre*. Atque hinc Sabinis & Latinis *barrus*, & inde barrire, apud Megiſſerum in thes. polyglotto. Ita Wachterus. Abhorret ab hac ſententia Lipſius, qui *baritum* (nam ita legi vult.) ducit a verbo Germanico *beren* aut *baeren* i e. clamare, vnde poſtea *barus* vel barrus elephas; cui ſententiae accedit Cluverius. Num etiam a *beren* ortum eſt verbum Baiern i. e. Leuten, quod in quibusdam adhuc Germaniae regionibus auditur?

(4.) Iſidorus Orig. L. 12. c. 2.

(5.) Argonautae mercatores fuiſſe omnino videntur, etſi hanc ſententiam hic probare non liceat. De ave vero nota ſunt verba Martialis 13. epigr. 72:

Argoa primum ſum transportata carina
Ante mihi notum nil niſi phaſis erat.

turales eius terrae, quam adierunt, invehere patriae.

§. 7.

Innotuerunt etiam animalia quaedam casu aliquo. Nam veniunt quaedam, in primis minora sponte in terram aliquam, vbi olim non fuerunt; vel eo transferuntur casu quodam ab inscientibus. *Cimices lectularii* Lin. 198, 1. paulo ante Christum natum venerunt in Europam, & invaserunt Angliam demum circa annum 1670. (1.) *Blattae orientales* Lin. 193, 7. hodie in Finlandia frequentissimae, neque hic Petropoli, vbi *Tarokán* vocantur, in domibus saltem ligneis rarae, nuper demum Holmiam venerunt, atque etiam in Helvetiam multaque Germaniae loca. (2.) *Teredines navales*

(1.) Conf. Treatise of Buggs by John Southall. London 1730. 8. p. 16. vbi docet, se reperisse: *that soon after the Fire of London* (fuit hoc incendium 1666.) *in some of the new-built Houses they were observ'd to appear, and were never noted to have been seen in the old, tho' they were then so few, as to be little taken notice of; yet as they were only seen in Firr-Timber, 'twas coniectur'd they were then first brought to England in them; of wich most of the new Houses were partly built, instead of the good Oak destroy'd in the old.*

2.) Eleganter celeberr. Sulzer in Kenzeichen der Insecten p. 22. Dieß rauberische Volck, welches eigentlich

les Lin. 251, 2. navium calamitates ex India venerunt in Europam. *Criceti* (Hamſter) Lin. 26, 6. e paucis demum annis ducatum Wurtembergicum tenent; atque quae animalia ita in terram aliquam venerunt, eorum ſaepe multitudo propter fecunditatem ita invaluit, vt non ſolum indigenae putata ſint, verum vt quoque incolas magna calamitate affecerint. Cuniculis, qui fecunditatis innumerae ſunt, ſcatuerunt olim Baleares inſulae, adeo vt famem incolis, populatis meſſibus attulerint, & hi adverſus proventum eorum auxilium militare ab Auguſto petierint. (3.) Verum hi cuniculi non fuere indigenae, ſed aliquando maſculo & femella ex continente importatis, ab hoc principio ad illam multitudinem excreverunt. (4.) Carpathiorum inſula leporibus caruit ſed incolae aliunde eos importandos curarunt, atque deinde magna eorum vis fruges inſulae vehe-

lich aus Amerika und Surinam herſtammet, und daſelbſt Kakerlati genennet wird, iſt von da nach Europa gekommen, und iſt auf der Reiſe ungemein angewachſen; es hat ſich durch das Türkiſche Reich, durch Rußland, Finnland und Schweden ausgebreitet, und findet ſich nun faſt in ganz Teutſchland. Maximum incommodum afferunt, quando in aures dormientium irrepunt, quod interdum fit.

(3.) Plin. L. 8. c. 55. Strabo. L. 3.

(4.) Strabo. l. c. plura loca collegit celeberr. Wernsdorf in Antiquit. Balear. p. 43. ſeqq.

menter populata eſt. (5.) Neque hic omittam improbam Pſyllorum malitiam, qui reliquarum venena terrarum invehentes, quaeſtus ſui cauſſa, peregrinis malis implevere Italiam. Conati ſunt etiam ſcorpiones Libycos inferre Italiae. (6.) Jam mihi redit in memoriam Decii imperatoris ſtratagema, qui, vt Saracenis regionem paſcendis gregibus aptam tenentibus noceret, immiſit ex Africa leones & leaenas in limitem orientalem ab Arabia & Palaeſtina vsque ad caſtrum Circeſium, vt fetus ederent & propagarentur propter barbaros Saracenos. (7.)

§. 8.

Vana & anilis ſuperſtitio, qua nihil multitudinem regit efficacius, quamquam ſemper vniverſo generi humano & plerumque etiam litteris obfuit vehementer, tamen eadem ipſa interdum litteris profuit quodammodo. Quod ne videatur cuipiam minus veriſimile, declarabo rem exemplo petito ex Aſtronomia, quae ſine controverſia hominibus vtilis admodum eſt doctrina. Quid vnquam magis ſuperſtitioſum fuit, quam traiectiones, motusque ſtellarum, lunae ſolisve defectiones & caeteras res huiusmodi,

(5.) Jul. Pollux. Notum eſt etiam proverbium: *Carpathius leporem*, dictum in eos, qui ſibi rem noxiam accerſunt.

(6.) Plin. L. 11. c. 25.

(7.) Refert hoc ex Alexandrino Chronico ad an. 253. Relandus in Palaeſtina p. 71. edit. Norimb.

modi, quae omnes neceſſitate quadam naturae certis temporibus fiunt obſervare, notare & inde velle, quid eventurum, praedicere? Adeo haec ſuperſtitio inhaeſit mentibus, vt hodierni aſtronomi non ſine multo & continuo ſtudio eam exſtirpaverint; neque eo minus iidem magna diligentia ſuperſtitioſas illas veterum fabulas collegerunt & ad incrementum Aſtronomiae adhibuerunt feliciſſime. Anno 383. ante Chriſtum natum Babylon in perturbationem & exanimationem ſubito incidebat propter improviſam lunae defectionem. Notata eſt hora, qua haec fiebat, quod facile coniicias, quam diligentiſſime. Hodie cum Aſtronomi huius defectionis momentum ad calculum vocarunt, (1.) exinde effecerunt, minorem iam lunaris orbitae diametrum eſſe, lunamque iam citius curſum ſuum abſolvere, quam olim; quae res dici non poteſt, quam ſit magna.

Jam hoc exemplo propoſito, facilius me lectoribus perſuaſurum confido, ſuperſtitionem Zoologiae profuiſſe; eam vero dico, quae in auguriis & haruſpicinis verſabatur. Etſi quae veteres de iis litteris mandarunt, relegi, & ſaepius mecum, quam fuerint ea ſuperſtitioſa & falſa cogitavi; tamen eo adduci non poſſum, vt credam, veteres has augurum & haruſpicum

(1.) Perlegerunt hoc conſilio veterum libros Struyk & Ricciolus. conf. Aſtronomy explained upon Sir Jſaac Newton's Principles, by James Ferguſon. Lond. 1757. 4.

cum disciplinas sine vlla ratione & occasione excogitasse. Omnibus enim fabulis, modo diligenter ad eas animum attendamus, certe quo tempore ortae sint, aliquid veri aut verisimile subfuisse videmus, atque idem in istis fabulis, de quibus nobis sermo, reperisse mihi videor. Sunt enim revera animalia μαντικα, praesertim aves, quae praesagia tempestatis futurae praebent. Haec diligenter animadvertendo atque notando, ars tandem effecta est. Atque cum nullius gentis magis refert, ventos aut imbres impendentes praescire, quam quae mare accolit, neque alibi plura sunt animalia, quibus rerum natura caeli & ventorum & imbrium & tempestatum praesagia indidit, quam in locis maritimis; non est quod miremur, gentes in primis maritimas eiusmodi prognostica sibi collegisse & hac divinatione celebritatem sermonis hominum paulatim esse consequutas. Immo persuasum mihi habeo, gentes maritimas primum auguria instituisse, quare quae apud veteres ob augurum disciplinam in primis celebres fuere, ad vnum omnes mare accoluerunt. Cicero in eo libro, quem de divinatione conscripsit, passim nominat gentes istas. In Italia quidem nulla gens fuit, quae ex augurum disciplina maiorem sibi famam conciliavit, quam Etrusca, adeo vt Etruria genetrix & mater superstitionis sit vocata. (2.) Accolebant vero Etrusci

(2.) Arnob. L. 7.

Etrusci mare Etruscum. Vmbria, quae etiam a Cicerone ob eandem disciplinam celebratur, vergebat ad mare superum. In Asia vero minori, quae nationes a Cicerone aliisve auctoribus eodem nomine laudantur, cunctae fuere maritimae, Cilices & Pamphylii (3.) & Lycii (4.) & Cares & Telmessenses (5.) & Phryges. (6.) Qui vero Arabes veteribus tanquam boni augures laudantur, eos etiam intelligo maritimos, qui mercaturam facientes & navem exercentes exteris erant notiores. Atque hae nationes omnes avium significationibus plurimum obtemperarunt. (7.) Consentientem queo laudare Ciceronem, qui in augurum disciplina optime erat versatus, (nam ipse augur fuit) cui iam visum est, ex locis ipsis, quae a quibusque nationibus incolerentur, divinationum opportunitates esse ductas. Videlicet voluit dicere Cicero, sed non ausus est; totam divi-

(3.) Plin. L. 5, 26. mare Pamphylium Cilicio iungitur.

(4.) Ad mare Lycium, de quo Plin. L. 5, 27.

(5.) Telmessus est vrbs in confinio Curiae Lyciaeque. Plin. Lib. 5. sect. 28. edit. Hard. I. pag. 273. quam quoque Plinius L. 30. c. 1. *religiosissimam vrbem* appellat.

(6.) Phrygia maior quidem erat tota mediterranea, sed minor maritima ad Propontidem, Hellespontum & Aegeum mare, contra insulam Lesbon. Virg. L. 1. Aeneid. v. 385. *Phrygium aequor.*

(7.) Cic. de divinat. L. 1. passim.

divinationem inde esse ortam; etsi recta via, qua iam incedebat, aberrasse mihi quidem videretur. (8.) Verum loco laudato non Cicero

(8.) Cic. de divinatione L. I. *Ac mihi quidem videntur ex locis quoque ipsis, quia quibusque incolebantur, divinationum opportunitates esse ductae. Vt enim Aegyptii, vt Babylonii in camporum patentium aequoribus habitantes, cum ex terra nihil emineret, quod contemplationi caeli officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt: Etrusci autem, quod religione imbuti studiosius & crebrius hostias immolabant, extorum cognitioni se maxime dediderunt: quodque propter aeris crassitudinem de caelo apud eos multa fiebant, quod ob eandem caussam multa alia inusitata partim ex caelo, alia ex terra oriebantur, quaedam etiam ex hominum pecudumve conceptu & satu, portentorum exercitatissimi interpretes exstiterunt. — Telmessenses quod agros vberrimos, maximeque fertiles incolunt, in quibus multa propter fecunditatem fingi, gignique possunt, in ostentis animadvertendis diligentes fuerunt.*

Vulgo quidem persuasum fuisse videtur, avibus notitiam quandam futurorum inesse, quod propiores superis essent, eoque mentem illorum intelligerent. Atque huc pertinent verba Ovidii Fastor. L. I. v. 447:

Sed nihil ista iuvant: quia linguae crimen habetis,
Dique putant mentes vos aperire suas.
Nec tamen id falsum. Nam Dis vt proxima quaeque,
Nunc penna veras, nunc datis ore notas.

Verum haud scio an ioco dixerit poeta, cum hanc sententiam alibi non offendam.

ro ipſe, ſed Quintus frater diſſerit; qui divinationi favebat. At quae aves illae aquaticae ſigna dant, ea tantum tempeſtates futuras praeſagiunt, cum veteres ita non tempeſtates ſolum, ſed alias etiam res divinarent. At etiamſi qui primi iſta prognoſtica annotarunt, non alias res, quam tempeſtates inde coniicere voluerunt, tamen homines, qui cupiditate quadam futura praeſciendi flagrant, his prognoſticis incitati eadem animalia reliquas etiam res futuras praeſentire & praeſagire ſuſpicati ſunt. Quin etiam nonnulli, Stoici in primis ſibi perſuadebant, ita a principio inchoatum eſſe mundum, vt certis rebus certa ſigna praecurrerent. (9) Itaque augures avium volatu & cantu ſeu garritu, vnde nomen eorum petitum videtur viris doctis, non contenti, etiam ex guſtatu & cibatu avium futura praenuntiare conati ſunt; immo etiam alia animalia in primis quadrupedia, quae & ipſa interdum tempeſtatum ſigna paſtoribus & agricolis dant, eidem diſciplinae ſubiecerunt, atque in extis adeo eorum rerum futurarum praeſenſiones ſcrutati ſunt; vnde extitit haruſpicum diſciplina. Verum iſta auguria, hae haruſpicinae non erant priſca illa & prima, ſed nova, ſed coacta, quod Cicero ſive Quintus ipſe confitetur. (10.) Antiqua

(9.) Cic l. c. Seneca quaeſt. nat. L. 2. c. 32.
(10) Cic l. c *Auſpicia vero veſtra quam conſtant? quae quidem nunc a Romanis auguribus ignorantur:*

tiqua vero illa auguria, quae mox a quibusdam gentibus ignorabantur, tenebantur diutius ab illis maritimis, quae ea primae notaverant. Insigne etiam huius sententiae argumentum in eo situm est, quod fere omnes aves, quarum in auguriis praecipue mentio fit, aquaticae sunt, & tales, quales etiam nunc prognostica praebent agricolis nostris & navium gubernatoribus nequaquam negligenda. (11.) Hoc modo est igitur augurum & haruspicum disciplina effecta, quae quomodo Zoologiae profuerit, iam videamus.

Necesse erat omnino, ii, qui ex volatu, cantu, gustatu vel cibatu futuras res vellent coniicere, noscerent varia avium genera, earumve vitae rationem. Haruspices itaque vetustissimo tempore primi & summi erant ornitho-

tur: (bona hoc tua venia dixerim) a Cilicibus, Pamphyliis, Pisidis, Lyciis tenentur. — Nostri quidem magistratus auspiciis vtuntur coactis Necesse enim est, offa obiecta, radere frustum ex pulli ore, cum pascitur. Quod autem scriptum habetis, aut tripudium fieri, si ex ea quid in solidum ceciderit: hoc quoque quod dixi coactum, tripudium solistimum dicitis: itaque multa auguria, multa auspicia, quod Cato ille sapiens queritur, negligentia collegii omissa plane & deserta sunt. — Nam vt nunc extis: quamquam id ipsum aliquando minus, quam olim: sic tum avibus magnae res impertiri solebant.

(11.) Rem, quam hic modo attigi, aliquando vberius & diligentius exponam separatim.

thologi, e quibus, qui aliis doctrina antecellebant, volumina de avium natura contexuerunt, quae, qui Zoologiae operam dabant, potissimum lectitabant & passim laudabant. Plinius quidem, quando de avibus rarioribus agit, semper auctoritate augurum vtitur. Rariores erant in Italia vultures nigri, quorum nidificantium in excelissimis rupibus nidi adeo ignoti erant vulgo, vt fuerint quidam, qui putarunt ex adverso orbe advolare. Verum auguribus etiam horum vulturum nidi erant cogniti & Vmbricius, qui de Etrusca disciplina librum conscripserat, & quem haruspicum in suo aevo peritissimum vocat Plinius, etiam eorum naturam notaverat. (12.) Idem Plinius vbi de avibus rarioribus de Ossifraga, Immissulo & de ea, quae vocabatur Sangualis disputat, laudat Mucium augurem. (13.) Inter reliquos, qui vel augu-

(12.) Plin. L. 10. c. 6.

(13.) Plin. L. 10. c. 7. *Sangualem avem atque Immissulum augures Romani in magna quaestione habent. Immissulum aliqui vulturis pullum arbitrantur esse, & Sangualem ossifragae. Massurius Sangualem ossifragam esse dicit, immissulum autem pullum aquilae, priusquam albicet cauda. Quidam post Mucium augurem visos non esse Romae confirmavere; ego (quod verisimilius) in desidia rerum omnium non arbitror agnitos.* Cum istae aves iam Plinii aetate adeo fuerint ignotae, vt de iis iam tunc augures ipsi disputaverint, non audeamus

augures fuere vel doctrinam Etruscam tractave-
runt, praecipui rerum naturalium indagatores
cele-

mus de eis certi aliquid asserere, quod etiam Scaliger tutius duxit. Attamen quaedam adiiciamus. *Sangualis* sive *Sanqualis* creditus est a quibusdam ossifragae pullus, aliis vero eadem visa est avis, quae ossifraga. Nomen Sangualis ducit Festus a Deo Sango vel Sanco, cuius in tutela fuit haec avis. *Immissuli* diligentiorem notitiam praebet Festus, cuius haec verba: *avis genus, quam alii regulum, alii ossifragam dicunt. Immissulus ales ex genere aquilarum est; sed minorum virium, quam aquilae: quae volucris raro & non fere, praeterquam vere apparet, quia aestum algoremque metuit* — Wachterus T. I. p. 406. vbi Falconis nominis originationem docet, reprehendit Bembum, qui Falconis nomen, quo nullus inter veteres vsus est, fastidiens, pro Falcone dixerit aquila; *Latini enim*, inquit Wachterus, *non aquilam, sed immissulum vocant.* Bembus quidem vir Latine doctissimus non sine ratione suspectum habuit *Falconis* nomen, quo nemo ante Julium Firmicum, qui claruit circa annum Christi 340. vsus est; quamquam illustris Gesnerus Thesauro suo erudit. schol. inseruerit diminutivum *Falcunculus*, quod auctoritate Plinii probat Neque enim hoc nomen apud Plinium vsquam legitur, nec est in indice Harduini; quam ob rem nescio quid fecerit, vt Gesnerus Falcunculo locum dederit, quem negaverant editiones priores. Nomen proprium quidem *Falco* iam fuit viro, qui imperatori Pertinaci insidias parabat, qua de re Julius Capitolinus in vita Pertinacis. Verum hoc nihil ad nos. At nec ratio-

celebrantur Antiſtius Labeo cognominatus,(14.)

E 2 Nigi-

rationem video, cur immiſſulum, vti viſum eſt Wachtero, credamus eſſe quem hodie nominamus Falconem. Feſtus, qui in deſcribenda ave immiſſulo ſatis multus eſt, quique & ipſe alibi Falconis nomen explicavit, ſine dubio etiam monuiſſet, immiſſulum eandem eſſe avem, quam falconem; cumque pauca admodum veteres de immiſſulo retulerint, non poſſumus, mea quidem ſententia inde, quae fuerit avis adeo certo conijcere. Wachterus Falconem avem, qua in aucupio hodie vtuntur, cogitans, ita vocatam eſſe perhibet, ab *immittendo*, *quia capturae cauſſa in ſublime mitteretur.* Rectius Feſtus: *quia ſubita & inexſpectata ſe immitteret.* In theſauro Gesneri vocatur Fiſcharn & Sangualis Beinbrecher, quae nomina Germanica a recentioribus data ſunt ambo *Falconi Haliaeto* Linnaei, in quem iſta mihi nomina Latina minime convenire videntur. Nomen vero Steinbeiſſer, quod l. c. inditum eſt oſſifragae, plane non convenit, cum quae ita vocatur avis ex alio & diverſo admodum genere ſit. Nomen Gallicum quidem *Orfraie*, quod ibidem appoſitum & Sanguali & Oſſifragae & Immiſſulo, eſt hodie Falconis Haliaeti; deductum vero videtur ab oſſifraga. conf. Bellonii L. 2. c. 7. de avibus, & Bocharti Hieroz. L. 2. c 6. p. 187 qui plura loca collegit. Cl Denſo quidem alia elegit nomina, cui Sangualis dicitur Sankvogel & immiſſulus Stößer & Oſſifraga Knochenbrecher, quae nomina recentioribus recepta non ſunt. Nam Stoßvogel eſt nomen generale.

(14.) Scripſit libros XV. de diſciplinis Etruſcis.

Nigidius Figulus (15.) & Hylas. (16.) Saepe numero igitur veteres e disciplina Etrusca, e commentariis auguralibus hauserunt, atque adeo, quod mireris, in Etrusca disciplina depicta etiam erant avium, & fortasse etiam reliquorum animalium genera, immo plura, quam memoria Plinii nota erant. (17.) Haruspices vero oportebat partes corporum tum hominum, tum reliquorum animantium internas noscere, quas diligentia quadam & religione quotidie fere perscrutantes non poterant discrimina, quae inter viscera animantium intersunt non animadvertere & annotare; quamobrem eosdem primos *anatomiam*, quam hodie *comparatam* dicunt,

(15.) Scripsit de extis, de animalibus. Hunc vocat Q. Serenus Sammonicus apud Macrobium L. 2. Saturnal. c. 12. *maximum rerum naturalium indagatorem.*

(16.) Hunc externorum de auguriis peritissime scripsisse, refert Plin. L. 10. Sect. 18.

(17.) Etruscam disciplinam laudat passim Plin. ex. gr. L. 2. c. 83. & commentarios augurales Festus; Pontificales libros laudat Servius ad Virg. aeneid. 7. v. 187. vbi de Pico sermo. Locus vero Plinii L. 10. c. 15. dignus est, qui legatur. *Sunt praeterea complura genera* (avium puta) *depicta in Etrusca disciplina, sed vlli non visa, quae defecisse mirum est, cum abundent etiam quae gula humana populatur.* Herodotus Euterpe L. 2. p. m. 131. ex pictura describit Phoenicem, quem ipsum sese nunquam vidisse confitetur: *ἔςι δὲ ἐν τῇ γραφῇ παρόμοιος τόσος δὲ καὶ τοιός δε.* *Is si picturae assimilis est, talis tantusque est* caet.

cunt, coluiſſe & effeciſſe credo. Nam niſi religio fuiſſet in cauſſa, non diſſecuiſſent profecto veteres mures, talpas, caet. nec phyſici quod cuiusque partibus internis proprium inſit, potuiſſent ſcire. Itaque quae Plinius (18.) de varia viſcerum & caeterarum partium internarum forma & ratione collegit, quae prima anatomiae comparatae elementa quodammodo dici poſſunt; ea mihi maxima ex parte ex haruſpicum commentariis hauſta videntur. Cui rei documento ſunt variae vbique & fabuloſae haruſpicum interſperſae circa viſcera animalium obſervationes. Verum tamen cum plurima Plinius ab Ariſtotele accepit, quod cuique qui libros ipſos vult comparare, intelligitur, concedam vrgenti, philoſophum ipſum ſtudio quaedam diſſecuiſſe animalia; at haruſpices nihilo minus primos agnoſco, qui huiusce doctrinae fundamenta iecerunt. Sero admodum auſi ſunt Graeci corpora humana dilacerare, ſed nomina inteſtinorum iam apud auctores vetuſtiores occurrunt, quae res ſuſpendit viros doctos. Verum iſta nomina ex haruſpicum diſciplina ducenda ſunt, quod Ariſtoteles ipſe comprobat. Nam internam corporis humani formam ex animalium affinium inteſtinis conieciſſe veteres confitetur. (19.) Haec de augurum at-

 que

(18.) Plin. L. 11. c. 37. ſeqq.

(19.) Ariſtot. hiſt. an. L. 1. c. 16. conf. Goguet vom Urſprunge der Geſetze, Künſte und Wiſſenſch. 3. Th. 3. B. 1. C. 82. S.

que haruſpicum doctrina vera ſi ſunt, iis quidem ſuperſtitio exprobranda eſt, qua hominum mentes infecerunt ac litteris vehementer obfuerunt; attamen aliquid laudis eis concedendum, cum diſciſſarum pecudum exta rimantes atque volucrium genera notantes Zoologiae & Anatomiae profuerint. Atque idem etiam de ſuperſtitioſis quibusdam Aegyptiorum ritibus haud dubie valet, inprimis vero de ritu religioſo mortuos condiendi atque conſervandi. Nam etiamſi quidam viri docti Aegyptios e feſtinata ac nimis religioſa corporum humanorum diſſectione quidquam de inteſtinorum ratione addiſcere potuiſſe negant; (20.) tamen ſecus mihi propterea videtur, quod veteres variam & mirabilem viſcerum rationem exponentes Aegyptiorum in obſervando diligentiam paſſim laudant, (21.) atque non ſolum quando de corpore humano, ſed etiam quando de aliorum animalium viſceribus, quae religioſe colebant,

(20.) Goguet l. c. 1. Th. 3. B. 2. C. 206. S.

(21.) Plin. L. 11. c. 37 ſect. 70 edit. Hard. 1. p. 626. *Augeri cor per ſingulos annos in homine ac binas drachmas ponderis ad quinquageſimum accedere: ab eo detrahi tantundem & ideo non vivere hominem vltra centeſimum annum defectu cordis, Aegyptii exiſtimant, quibus mos eſt cadavera aſſervare medicata.* Quae verba mea quidem ſententia de recentiori Ptolomaeorum tempore, quo Aegyptii Alexandriae diligenter corpora diſſecuerunt non intelligenda videntur, quamquam hoc viſum ſit viro acutiſſimo Goguet.

bant & ſervabant ſermo eſt. (22.) Denique etiam beſtias feras colentes & diligentiſſime obſervantes, non poterant harum de natura multa non cognoſcere, quae alioquin ſero fortaſſe innotuiſſent; quapropter etiam Ariſtoteles ſacerdotes Aegyptios paſſim in animantium hiſtoria laudat. (23.)

§. 9.

Non phyſicis, non viris magna eruditione praeſtantibus ſolum accepta refert Zoologia incrementa, quae recentiori tempore cepit, verum magna ex parte etiam pictoribus. Qui vel delibavit modo hiſtoriam naturalem, is, quantum debeat viris ingenio & arte ſua clariſſimis, Roeſel, Robert, Hofnagel, Goedart, Schwarz, Albin, Merianae aliisque non ignorat.

(22.) Horappollo Hieroglyph. 1, 39. *Canis inter caetera animalia leviſſimum ſplenem habet, & ſive ei mors, ſive rabies acciderit, ex ſplene id contingit. Enim vero & qui eius funus procurant, vbi morituri ſunt, magna ex parte ſplenetici fiunt. Siquidem gravi illo halitu & vapore qui ex inciſo diſſectoque cane provenit, inficiuntur.*

(23.) Verbi gratia L. 9. hiſt. an. c. 1. δῆλον δὲ ποιεῖ τῦτο ἡ περὶ Αἴγυπτον ἐπιμέλεια τῶν ζώων. — caet. Probat philoſophus exemplo animalium, quae ab Aegyptiis coluntur, animalia, etiam ſibi alias inimica, poſſe vna (μετ ἀλλήλων. Theod. Gaza: *Collegio*) degere, modo iis cibi affatim praebeatur.

rat. (1.) Hi viri probe ſcientes, eam demum picturam vere & recte laudandam atque merito admirandam eſſe, quae naturam rerum, quam accuratiſſime imitetur, diligentius propterea ad animalium naturam ipſam animum applicarunt. Vix ſero eo conſilio adſpexerant animalia, cum tanta admiratione afficiebantur, vt ea tantum in poſterum artis ſuae parte delectarentur, quae in exprimendis animantibus verſatur. Natura vero rerum, indagatores tanto ingenio tantaque obſervandi & attendendi facultate ornatos nacta, cogebatur quaſi, quae habet admiranda iis patefacere. (2.) Verum quid obſtat, quin etiam

(1.) Linnaei amoen. ac. T. 3. p. 273.

(2.) Comprobat quae dicta ſunt ipſe Röſel, cuius verba ſubiiciam: Um in der Mahlerkunſt ſo vollkommen zu werden, als es nur immer meine Kräfte zulaſſen wolten, habe ich die genaue Betrachtung der Werke der Natur, derer Geſchöpfe und ihrer Affecten niemalen aus der Acht gelaſſen: weil doch nur derjenige der beſte Mahler iſt, der die Natur am vollkommenſten nachzuahmen weis. Dadurch aber iſt es nun geſchehen, daß ich auch manches beobachtet, ſo eigentlich eben nicht zu meiner Kunſt gehöret, doch aber die Aufmerkſamkeit eines jeden Menſchen verdienet. Bey Betrachtung eines Gebüſches habe ich öfters die mit wunderbarem Fleiſe zuſammen getragenen Neſter der Vögel und die mit mancherley Verrichtungen beſchäftigte Raupen wahrgenommen. Beydes zog meine Aufmerkſamkeit an ſich, daß ich nicht ohne ſonderbare Gemüthsbeluſtigung manches in Anſehung dieſer Creaturen entdecket, womit ich glaube bey andern Dank zu verdienen, wenn

etiam pictoribus, qui olim eodem ingenio praediti magnam non immerito famam consequuti sunt, aliquid tribuamus? Non cogito vero istos pictores, qui picturis adscribere cogebantur illud ridiculum: τȣτο βοῦς, ἐκεῖνο ἵππος, τȣ̃το δένδρον; (3.) verum de iis loquor, qui quo tempore reliquae iam artes ac doctrinae adeo erant excultae, vt eas picturas recte & merito laudatas credere possimus, quae tunc laudatae sunt, magnam laudem consequuti sunt. Nulla autem erat pingendi ars ante saeculum Alexandri Magni, quo eodem etiam, hoc enim hic omnino monendum censeo, historiam naturalem viri docti colere coeperunt. (4.) Hoc vero tempore pictores studium non solum in hominibus pingendis, (quamquam in his maxime) posuisse, sed etiam in bestiis, probant picturae Graecis Romanisque adeo laudatae. Apelles quidem, sentiens ambitu aemulos praevalere, iudicium ad mutas quadrupedes provocavit ab hominibus. Picturas enim inductis equis ostendit, qui Apelles tantum equo adhinnivere. (5.) Equi egregia pictura nobilitavit etiam Aglaophontem, & alium quendam hinnuli; & inprimis Calamidem equi statua;

 canum

wenn ich solches bekant machen würde — Rösel in der Vorrede zum ersten Theil seiner Insectenbelustigung.

(3.) Ael. var. hist. L. 10. c. 10.

(4.) conf. Gogunt l. c. 3. Th. 2. B. 3. C. 77. S.

(5.) Plin. L. 35. c. 10. Valer. Max. L. 8. c. 11.

canum picturae Niciam; Myronem vero statuarium vacca seu bucula ex aere facta. (6.) Pasiteles cum Leonem vellet caelare, Romae in naualibus, vbi ferae Africanae erant, per caveam leonem vivum intuebatur. (7.) Atque notatu omnino digna est res, quam vir hac in doctrina maxime omnium versatus cel. I. Winkelmann docet Aegyptii nimirum statuarii & pictores debebant Deorum, Dearum aut sacerdotum effigies formaturi (quibus in pingendis & caelandis plerumque versabantur,) semper quam diligentissime maiorum exempla, & quam temporis longinquitas probaverat, rationem sequi; sed maior erat in effingendis animalibus facultas, vires & quid ars possit efficere experiendi. Quamobrem quae effigies ac statuae animalium sunt servatae, eae omnes praestantiores multo sunt iis, quae homines referunt. (8.) Grae-

(6.) Aelian. hist. an. capite vltimo.

(7.) Plin. L 36. c. 5. Hard. II. p. 731, 2.

(8.) Winkelmanns Geschichte der Kunst des Alterthums. Dresden 1764. p. 41. Aus dieser Verschiedenheit des Stils zwischen den Figuren und Thieren ist zu schliessen, daß, da jene Gottheiten oder heilige Personen vorstellen, die Bildung derselben allgemein bestimt gewesen, und daß in Thieren die Künstler mehrere Freyheit gehabt sich zu zeigen. Man stelle sich das Systema der alten Kunst der Aegyptier in Absicht der Figuren, wie das System der Regierung zu Creta und zu Sparta vor, wo von den alten Verordnungen ihrer Gesetzgeber keinem Fingerbreit abzuweichen war; die Thiere wären

Graeci vero artifices maximo ſtudio & homines & animalia quaeque exprimere ſtudebant; in primis vero equos atque leones. (9.)

§. 10.

Jam expoſitis iis rebus, vnde Zoologia ortum & incrementum praecipue accepit, adeamus philoſophos, qui, quae de animalium hiſtoria nota erant, collegerunt, diſpoſuerunt, explicarunt, quantum potuerunt, atque ornarunt. Hi, quidquid in rerum natura, ſapientis obſervatione ac animi intentione dignum arbitrantes, non in caelo ſolo morati ſunt, ſed etiam ad beſtias deſcenderunt. (1.) Ariſtoteles ſummus in omni

wären in dieſem vernünftigen Zirkel nicht begriffen geweſen.

(9.) Winckelmann l. c. p. 186. die Unterſuchung und Kentniß der Natur der Thiere iſt nicht weniger ein Vorwurf der Künſtler der alten Griechen, als ihrer Weiſen geweſen — Von Löwen und Pferden haben ſich ungemein ſchöne Stücke, theils freyſtehende, theils erhabene und auf Münzen und geſchnittenen Steinen, erhalten. — Es iſt gewiß, daß die Künſtler des Alterthums die Eigenſchaften eines ſchönen Pferdes, ſo wie ihre Scribenten und Dichter gekant haben, und daß Calamis eben ſo viel Einſicht als Horatius und Virgilius gehabt, die uns alle Tugenden und Schönheiten eines Pferdes anzeigen.

(1.) Non libet hic omnia philoſophorum nomina referre, qui de hiſtoria naturali vel de animalium modo hiſtoria ſcripſerunt. Neque enim biblio-

the-

omni doctrina vir non vno modo profuit Zoologiae. Nam & ipse historiam animalium eruditam contexuit, & regem Alexandrum M. qui victor gentes remotissimas adibat, cupidine animalium naturas noscendi inflammavit, & suo exemplo gravissimo posteros philosophos ad idem studium allexit. Patrem habuit Nicomachum illustri natum loco, medicum, qui filium, puto, medicorum doctrina imbuit. Medicinae enim peritiam in Aristotele laudant veteres, eamque libri ipsius etiam declarant. (2.) Hanc ob caussam sine dubio, qui Aristoteli erant inimici, contumeliose dixerunt eum, dilapidatis bonis paternis, pharmacopolam egisse. (3.) Verum primis temporibus medendi scientia sapientiae pars habebatur, vt & morborum curatio & rerum naturae contemplatio sub iisdem auctoribus nata sit. (4.) Magnae semper accessiones lit-

thecam Zoologicam conteximus, sed quaedam tantum delibamus.

(2.) Ael. var. hist. L 9. c 22.

(3.) Ael. var. hist. L. 5 c. 9 Refert hoc ex Epicaero Laertius in Epicuro & Athen. 8, 13 qui quidem addit Epicurum solum, non alium, neque ex illis quidem, qui contra Aristotelem scripserunt, hoc prodidisse.

(4.) Celsus in praefat L. 1. Juvabit etiam legere, quae Cicero *de finibus* L. 5 de Academia veteri habet, ex qua tanquam ex omnium artium officina, oratores, imperatores, mathematicos, poetas, musicos, medicos denique profectos esse docet. Ibi

litteris factae sunt, quando viri potentes & divites, reges in primis atque imperatores, earum amore inflammati sunt, nulla vero doctrina magis eorum auxilio indiget, quam historia naturalis, cui qui operam vult navare felicem, faciat magnos sumtus necesse est. Hoc probe sciens philosophus Alexandrum cupiditate animalium naturas noscendi incendit, neque eum spes fefellit. Etenim Alexander non solum octingenta talenta Aristoteli ad descriptionem historiae naturalis contulit, (5.) sed etiam ablegavit ad eum aliquot millia hominum in totius Asiae Graeciaeque tractu, quos venatus aucupia piscatusque alebant: quibus vivaria, armenta, alvearia, piscinae, aviaria in cura erant. Hos percontando complura volumina de anima-

Ibi etiam haec: *Natura sic ab iis investigata est, vt nulla pars caelo, mari, terra (vt poetice loquar.) praetermissa sit. Quin etiam, cum de rerum initiis, omnique mundo loquuti essent, vt multa non modo probabili argumentatione, sed etiam necessaria mathematicorum ratione concluderent: maximam materiam ex rebus per se investigatis ad rerum occultarum cognitionem attulerunt. Persequutus est Aristoteles animantium omnium ortus, victus, figuras. Theophrastus autem - - - caet.*

(5.) Athenaeus L. 9. Ael. quidem Var. hist. L. 4. c. 19. Philippum Aristoteli eodem animo copiosas divitias dedisse refert.

malibus tradidit; (6.) vnde ad noſtra vſque tempora phyſici fere omnes hauſere, quaeque doctiſſimus quisque phyſicus etiam nunc magni facit. (7.) Qui vero Ariſtotele doctore vſi aut eius doctrinam poſtea amplexi ſunt, eos quoque hiſtoriam naturalem adamaſſe, comprobant exempla Theophraſti, qui ſtirpium naturas, omniumque fere rerum, quae e terra gignerentur, cauſas atque rationes perſequutus eſt; (8.) Eudemi, Lyconis caeterorumque, quos laudare omnes,

(6.) Plin. L. 8. c. 16. *Alexandro M. rege inflammato cupidine animalium naturas noſcendi, delegataque hac commentatione Ariſtoteli, ſummo in omni doctrina viro, aliquot millia hominum in totius Aſiae Graeciaeque tractu parere iuſſa, omnium quos venatus, auguria piſcatusque alebant: quibus vivaria, armenta, alvearia, piſcinae, aviaria in cura erant; ne quidquam genitum ignoraretur ab eo; quos percontando, quinquaginta ferme volumina illa praeclara de animalibus tradidit.* In numero voluminum non conveniunt veteres. LXX. de animalibus libros ab eo editos eſſe, auctor eſt Antigonus Caryſtius c. 66. Decem, qui hodie ſuperſunt, libros, epitomen tantum operis Ariſtotelici eſſe, factam ab Ariſtophane Byzantino, ſunt qui contendunt cum Hierocle. Fata librorum Ariſtotelis memoranda lege apud Fabric. bibliothec. Graec. vol. 2. & apud Brukerum Hiſtor. philoſ.

(7.) In hiſtoria animalium Ariſtotelis laudanda multus eſt Buffon in Naturhiſtorie 1 Th. 1 B. 31. S.

(8.) Cicero de finibus. L. 5.

omnes, longum eſt. (9.) Sed Apuleius, qui ſcriptis philoſophicis inclaruit, dignus omnino eſt, cuius hic mentionem faciamus nominatim. Is quae Ariſtoteles & reliqui Graeci de hiſtoria naturali litteris mandaverant, edidicerat diligenter, habebatque in animo, ea ordinatius & cohibilius Graece ac Latine conſcribere & in omnibus aut omiſſa anquirere, aut defecta ſupplere, dabatque negotium amicis & piſcatoribus, quicunque minus cogniti generis piſcis inciderit, vt eius ſibi aut formam commemorarent, aut ipſum viuum; vel ſi id nequierint, vel mortuum oſtenderent. Hoc de ſe ipſe enarrat, quod niſi monuiſſem, putares ne, mihi de recentiori quodam phyſico ſermonem eſſe? Adeo omnia conveniunt Quod noſtra etiamnunc memoria interdum (quamquam iam rarius) phyſicis accidit, qui animalia, beſtiolas, plantas & lapides conquirunt, vt communi quodam errore imperitorum irrideantur, idem etiam Aeliano & Apuleio (10.) evenit, qui etiam

(9.) Apuleius in Apologia: *Legat, inquit*, (ſcilicet Aemilianus,) *veterum philoſophorum monumenta: tandem vt intelligat, non me primum haec requiſiſſe, ſed iam pridem maiores meos: Ariſtotelem dico & Theophraſtum & Eudemum & Lyconem caeteroſque Platonis minores; qui plurimos libros de genitu animalium, deque victu, deque particulis, deque omni differentia reliquerunt.*

(10.) Aelianus hiſt. an, capite vltimo iis reſpondet, qui

etiam Magiae adeo ab Aemiliano quodam accusatus est. Apologia, quam pro se habuit eruditionem viri & elegans ingenii acumen luculenter declarat. Ibi se nolle confitetur (nam non possum mihi temperare, quin verba homine Christiano digna adscribam) de Diis immortalibus patri & matri credere, sed videre se velle, quanta sit etiam in animalibus ratio providentiae. (11.) Neque Apuleius solus laudabili hoc studio tenebatur, sed etiam reliqui philosophi providentiae erant miratores diligentissimi, cuius rei exempla occurrunt passim gravissima pulcerrimaque, quae ab recentioribus physicis repetuntur atque confirmantur. Nam legenti mihi quae de naturae oeconomia exposuit ill. Linnaeus, (12.) videntur ea iam a vetustissimis physicis proposita, etsi recentior aetas accepta ab iis fecerit meliora novaque exempla

qui historiam naturalem indignam censent, cui operam dent viri docti.

(11.) Verba ipsa hic habes: *Vtrum igitur putas philosopho, non secundum Cynicam temeritatem rudi & indocto, sed qui se Platonicae scholae meminerit; vtrum ei putas turpe scire ista, an nescire? negligere, an curare? nosse quanta sit etiam in istis providentiae ratio, an de Diis immortalibus matri & patri credere?*

(12.) Differt. Oeconomia naturae amoen. ac. T. 2. p. 1. quae exponit quidquid circa rerum propagationem, conservationem & destructionem in triplici naturae regno curiosius obvenerit, scituque dignius, nec quorumvis perspicaciae obvium.

pla addiderit. Laudabant veteres rerum naturam ſeu providentiam, quae largius remedia quam mala genuerit; (13.) quae velocioribus animalibus nocivis moram attulerit; (14.) quae in quibus maior peſtis eſt, iis plures hoſtes dederit; (15.) quae innocua & eſculenta animalia fecunda generaverit. (16.) Quin etiam latentem in animalibus contrariis, inimicis & peſtiferis nobis vtilitatem grato animo agnoſcebant, ſperantes eam temporum proceſſu inventum iri. (17.) Non ſine laudabili & philoſopho

(13.) Confirmat hoc Plin. L. 8. c. 23. exemplo ſerpentium.

(14.) Plin. de Delphino L. 9. c. 8. *Velociſſimum omnium animalium, non ſolum marinorum, eſt delphinus, ocior volucre, acrior telo: ac niſi multum infra roſtrum os illi foret, medio paene in ventre, nullus piſcium celeritatem eius euaderet. Sed affert moram prouidentia naturae.*

(15.) Plin. L. 8. c. 25.

(16.) Herodot. L. 3. Thalia & Plin. L. 8. c. 55. leporis hoc exemplo probant. Lepus omnium predae naſcens (ὁ λαγωὸς ὑπὸ παντὸς θηρεύεται θηρίου, καὶ ὄρνιθος, καὶ ἀνθρώπου.) ſolus ſuperfetat.

(17.) Hanc quidem Stoicorum ſententiam docet Lactantius de ira Dei c. 13. quam, etſi damnat vir nimis religioſus dicitque ineptam tamen vel ill. Störkii diligentia Cicutae aquaticae probavit exemplo. Lactantii verba haec ſunt: *Academici contra Stoicos diſſerentes ſolent quaerere, cur ſi Deus*

pho digna providentiae admiratione videbant, animalia non ſua modo commoda, verum & hoſtium adverſa noſſe, ſua tela, occaſiones, parteſque diſſidentium imbelles; (18.) admirabantur ſollertem ſubtilemque deſcriptionem partium, admirabilemque fabricam membrorum, quorum nihil ſupervacaneum, nihil ad vitam retinendam non neceſſarium; (19.) admirabantur ingentem animalium turbam magnamque varietatem (20.) & vim ad eam rem, vt in ſuo quaeque genere permaneant, atque machinationem quandam ſollertiamqae quibusdam

Deus omnia hominum cauſſa fecerit etiam multa contraria & inimica & peſtifera nobis reperiuntur, tam in mari quam in terra? Quod Stoici veritatem non reſpicientes ineptiſſime repulerunt. Aiunt enim multa eſſe in gignentibus, & in numero animalium, quarum lateat vtilitas, ſed eam proceſſu temporum inveniri: ſicut iam plura prioribus ſaeculis incognita neceſſitas & uſus invenerit. Quae tandem vtilitas poteſt in muribus, in blattis, in ſerpentibus reperiri, quae homini moleſta & pernicioſa ſunt? an medicina in his aliqua latet? Verum haec ſufficiunt de argumento ſaepe iam a vris doctis tractato. conf. Plin. L. 13. in principio.

(18.) Plin. L. 8. c. 25. ſect. 38.

(19.) Cicero de Nat. Deorum L. 2.

(20.) Cic. l. c. *Ne curioſiſſimi quidem homines ex quirendo audire tam multa poſſunt, quam ſunt multa, quae terra, mari, paludibus, fluminibus exiſtunt.*

dam datam. (21.) Et quamquam veteres minori diligentia insectorum historiam coluisse videantur, tamen in istis aeque ac in reliquis animantibus providentiam sunt venerati & arbitrati, nusquam alibi spectatius Naturae rerum artificium esse. *In magnis siquidem corporibus* (vtimur verbis Plinii, quibus nec ab recentiori physico dici potest pulcrius elegantiusque) *aut certe maioribus, facilis officina sequaci materia fuit. In his tam parvis, atque tam nullis, quae ratio, quanta vis, quam inextricabilis perfectio? vbi tot sensus collacavit in culice? & sunt alia dictu minora. Sed vbi visum in eo praetendit? vbi gustatum applicavit? vbi odoratum inseruit? vbi vero truculentam illam & portione maximam vocem* in-

(21.) Elegans est locus Ciceronis l. c. L. 2. *Alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando: cibumque partim oris hiatu & dentibus ipsis capessunt, partim vnguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum: alia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. Atque etiam aliorum ea est humilitas, vt cibum terrestrem facile contingant. Quae autem altiora sunt, vt ameres, vt cygni, vt grues, vt cameli, adiuvantur proceritate colorum. Manus etiam data elephantis, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebant ad pastum. At quibus bestiis erat is cibus, vt alius generis bestiis vescerentur; aut vires natura dedit, aut celeritatem. Data est quibusdam etiam machinatio quaedam atque sollertia, caet.*

ingeneravit? qua ſubtilitate pennas annexuit? praelongavit pedum crura? diſpoſuit ieiunam caveam, vbi alvum? avidam ſanguinis & potiſſimum humani ſitim accendit? Telum vero perfodiendo tergori quo ſpiculavit ingenio? atque vt in capaci, cum cerni non poſſit exilitas, ita reciproca geminavit arte, vt fodiendo acuminatam pariter, ſorbendoque fiſtuloſam eſſet. Quos teredini ad perforanda robora cum ſono teſte dentes affixit, potiſſimumque e ligno cibatum fecit? Sed turrigeros elephantorum miramur humeros, taurorumque colla, & truces in ſublime iactus; tigrium rapinas, leonum iubas, cum rerum natura nuſquam magis, quam in minimis tota ſit (22.) Jam vero cuique intelligitur, veteres philoſophos eadem diligentia & animi intentione beſtiolas haſce obſervaſſe, quam ingentia belluarum corpora. Nos quidem microſcopia, quorum ope vel minutiſſima beſtiolarum membra, quae ob exilitatem veterum philoſophorum oculos fugiebant, non ſolum cernere, ſed delineare commode etiam poſſumus, ad inſectorum hiſtoriam convocaverunt, quae, niſi ea eſſent inventa, etiam nunc, etſi florente hiſtoria naturae, aliquanto minus quam reliquae eius partes procul dubio eſſet exculta. Recentiores philoſophi diſputant de animalium natura atque inſtinctu, quae Grae-

(22.) Plin. L. 11. c. 1.

Graecis ὁρμὴ vocatur, neque in eadem re veteres non ſunt verſati, quorum quidem ſententias, qui noſtra memoria hoc in loco ſummus eſt, venerabilis nimirum Reimarus collegit. (23.) Galenus quidem cupiens videre, ſi artes beſtiae a parentibus diſcerent, an eae eſſent innatae, expertus hoc eſt in capella vtero materno exemta, quemadmodum Schwammerdam in cochlea aquatica vivipera & in avibus, & Reaumurius in inſectis. (24.) Denique hiſtoriam naturalem philoſophorum ſeu ſapientium iam mentes ad providentiae admirationem atque venerationem direxiſſe, minime id quidem mirum, cum quod poeta de Aſtronomis aſſerit, idem etiam de phyſicis naturaeque hiſtoricis dicendum: (25.)

An undevout Aſtrono mer is mad.

§. 11.

Difficile eſt res naturales, quae veteribus cognitae fuerunt, annumerare omnes; attamen

 iam

(23.) Reimarus von den Trieben der Thiere. p. 190. Laudat in primis Senecae Epiſt. 21. quae eſt ſane lectu digniſſima & ea quae nobis dicta ſunt probat.

(24.) Galenus L. 5. in 6. Epidem. Hippocr. Opp. Galeni edit. Baſil. P. 5. p. 509. Schwammerd. Bibl. Nat. T. 1. p. 174. T. 2. p. 447. Reaumur l'hiſtoire des Inſ. T. 5. P. 2. mem. 11. p. 278. Amſt. 1721. 8.

(25.) Dr. Young's Night Thoughts.

iam Plinius periculum fecit. Aquatilium vult esse centum septuaginta quatuor, (1.) nempe piscium CXLIV. praeter crustis intecta, quae sunt triginta. (2.) At verum vt fatear, lectio varia est, etsi ea qua vsi sumus Harduini, sine dubio probabilis est. Incrementi vero exemplum praebet Botanica. Plantas quingentas novit Theophrastus, mille vero Plinius. Quibus in linguis plura sunt rerum naturalium nomina, eae gentes vel maiori studio historiam naturalem coluerunt, vel per longius tempus. Graecis haud dubie plura sunt, quam Latinis, etsi hi complura ex istorum lingua in suam transtulerint. Saepe etiam nomina ipsa diligentiam declarant, qua veteres res ipsas consideraverint. (†) Ducta enim sunt quaedam vel ab actionibus, vel membris, vel re alia, quae nulli, nisi diligenti admodum observatori & indagatori, innotescere queunt. Eodem fere modo hieroglyphica Aegyptiorum probant optime eorum in observandis animalibus diligentiam. Et verum si est, quod veteres passim tradiderunt, multas artes homines ab animantibus didicisse; necesse est omnino, vetustissimo tempore homines maximo studio animum ad animantium vitae rationem applicaverint. Hippopotamus repertor detrahendi sanguinis appel-

(1.) Plin. L. 32. Sect. 63.
(2.) L. 9. Sect. 16.
(†) Multus hoc in argumento est Buffon 1. Th. 29. S.

pellatus eſt, quia aſſidua ſacietate obeſus in littus exit, recentes arundinum caeſuras ſpeculatum, atque, vbi acutiſſimum videt ſtirpem inprimens corpus, venam quandam in crure vulnerat, atque ita profluvio ſanguinis morbidum alias corpus exonerat; & plagam limo rurſus obducit; (3.) itaque huius medicinae magiſter fuit. Ibis roſtri aduncitate per eam partem ſe perluens, qua reddi ciborum onera maxime ſalubre eſt, clyſterum rationem oſtendit. (4.) Alvum vomitione curare docuerunt canes. (5.) Milvi Plinio noſtro videntur artem gubernandi docuiſſe caudae flexibus, in caelo monſtrante natura, quod opus eſſet in profundo. (6.) Amputationem arborum ramorum didicerunt maiores noſtri ab aſino vel (vt aliis viſum eſt) a capro. (7.) Medicinas vero multas medici iam veteres ſeſe animalibus debere dictitarunt e. c. Hippocrates. At, vt quod ſentiam dicam, ingenio profecto indulſerunt veteres, quos, vt acumen oſtenderent, cui arti vel rei ſimile quiddam in vitae animalium ratione offendebant, eam genus humanum ab iis didiciſſe

 con-

(3.) Ita rem refert Plinius L. 8. c. 26. conf. L. 28. Sect. 31.

(4.) Plin. L. 8. c. 27. & ibi loca ab Harduino laudata, quibus adde Cic. de Nat. Deorum L. 2. c. 50.

(5.) Cic. l. c.

(6) Plin. L. 10. c. 10.

(7.) Ab aſino vult Pauſanias, a capro Hyginus fab. 274.

contendere non puduit; etsi fortasse quaedam bestiae revera rem aliquam vtilem inveniendi praebuerint occasionem. Quodsi autem veterum in historia naturali studium cuidam non satis effecisse videtur, is cogitet quaeso, parvam modo orbis terrarum partem iis fuisse notam; (8) peregrinationes multo olim quam hodie difficiliores, molestiores, atque ideo rariores fuisse; multa animalia capere vel necare vel propter ipsorum, vel propter loci natalis religionem nefas fuisse; (qua de re infra dicturi sumus.) nos e contrario multorum animalium notitiam debere microscopiis, quibus carebant veteres; nostra aetate vbique fere terrarum viros doctos esse, qui facile civibus notitiam rerum, quas novas reperiunt, impertiunt, communicantque cum viris eruditis; quin etiam societates, quas scientiarum vocant, historiam naturalem augere, explicare, ornare, hodie studere; nostrates frui accurata & commoda omnium rerum, quae notae sunt dispositione, frui & picturis rerum, quas videre ipsas raro contingit. Quae qui cogitat, is haud dubie satis veterum studium effecisse confiteatur necesse est. CA-

(8.) Pl. L. 32. Sect. 63. *Neque enim omnis Indiae, Aethiopiaeque aut Scythiae desertorumque novimus feras aut volucres, cum hominum ipsorum multo plurimae sint differentiae, quam invenire potuimus. Accedat his Taprobane insulaeque aliae oceani fabulose narratae. Profecto conveniet non posse*

CAPVT II.

DE RATIONE, QVA VETERES IN CONSCRIBENDA HISTORIA NATVRALI VSI SVNT.

§. I.

Vnde & quanam ratione historiae naturalis ὕλη seu materia collecta paulatim sit breviter exposuimus; iam ad aliud argumentum progrediamur ac videamus, quando & in quam formam ea a physicis sit redacta. Hodie, qui historiam naturalem vel huius partem aliquam conscripturi sunt, eligunt vel excogitant fere ipsi ordinem quendam, quem Systema vocant, quemque deinde in describenda animalium turba, quam accuratissime sequuntur. Veteres autem de dispositione minus solliciti, ita describebant animalium historiam, vt recentiores nimis iam diligenti divisioni adsueti, vix vllam in eorum libris possint invenire. Sunt quidem hodie, quibus veterum ratio magis placet, quique nimis anxium reliquorum ordinem ludibrio adeo habent; at sunt etiam alii, atque hi sunt plurimi, qui veteribus ἀταξίαν exprobrant eamque derident. Verum iniusti vtri-

posse omnia genera in contemplationem vniversam vocari.

que videntur. Eſt enim ingens, immanis rerum naturalium copia, quam nec noſtra aetas, etſi doctiſſimi atque acutiſſimi viri in ea re occupati ſunt, poſteritati omnem poterit annumerare. Jam vero vidimus maioribus noſtris non cito, ſed ſubinde tantum res naturales innotuiſſe, nec ſine multo atque longo labore. Quod ſi quis cogitat, num is veteribus poſſit opprobrare ἀταξίαν? Neceſſe eſt enim multas & varias res noſcere, antequam ſingulae ſuo loco poſſint rite collocari. Itaque veteres, qui colligebant modo res, magis de rerum ſingularum accurata deſcriptione, minus vero, & recte quidem de ordine operis erant ſolliciti. Eadem ſine vlla controverſia ratione ſapientiſſimus quisque etiam nunc, ſi res eſſet integra, vteretur. Inſigne huius rei exemplum praebet vis illa electrica, noſtro demum tempore phyſicis agnita. Erant nonnulli, qui quam primum vel aliquid tantum de ea inaudiverant, ſtatim iam eam totam explicare conabantur. Cito hoc erat, nimis profecto cito. Eſt enim omnis feſtinatio improvida. Quamobrem iam dudum horum virorum hypotheſes reiectae atque exploſae ſunt. Nunc demum poſtquam multi aetatem in experimentis conſumſerunt, potuit illuſtris Aepinus veram vis illius electricae rationem invenire. Ita & nos auctis iis rebus naturalibus, quas maiorum diligentia nobis collegerat, poſſumus, immo debemus periculum

eas

eas diſponendi facere. Adiuvant nunc quoque frequentes rerum naturalium collectiones, quae noſtro tempore multo ſunt numeroſiores & faciliores quam olim. (1.) Vaſtum ac ſplendidum eſt aedificium naturae Syſtema, ad quod exſtruendum nec omnia ſaecula praeterlapſa materiam neceſſariam, lapides ac ligna ſatis potuerunt comportare, vt illud inchoatum, poſſint abſolvere aedificatores. Non eſt meum quidem hic vtilitatem ſyſtematis ſeu ordinis, qui, vt ait Cicero (2.), in quaque doctrina memoriae maxime affert lumen, laudare atque efferre; ſed eſt tanta, vt equidem non videam, qua ratione quisquam ſyſtema poſſit damnare. Ne tunc quidem, quando cunctis rebus in omnibus linguis certa nomina atque propria conſtarent, eligenda ac probanda eſſet ea, quam ſibi propoſuit rationem illuſtris Buffon. Verum veteres

(1.) Lin. amoen. Acad. T. 3. p. 447.

(2.) Cic. de orat. 2, 86. Breviter inſignem ſyſtematum vſum declaravit Linnaeus in praefatione Generum plantarum pag. XV. quae verba hic adſcribamus, cum in vniverſae hiſtoriae nat. ſyſtema conveniant: *Introeant hortum exoticis plantis & incognitis refertiſſimum, eumque ſimul Bibliotheca botanica optima inſtructum, duo curioſi; alter ſyſtematicus, alter empiricus; cum ille facile redigit plantas ex lectis in fructificatione literis ad ſuam Claſſem, Ordinem & Genus, quo dato paucae reſtant ſpecies diſtinguendae: tenetur alter omnes evolvere libros, omnes perlegere deſcriptiones, & figuras omnes inſpicere infinito labore; nec de planta, niſi caſu, certus fiet.*

teres iam permagnum ſyſtematis vſum atque neceſſitatem probe viderunt, & quis demum eſt, quin Ariſtotelem ſummum methodi artificem hoc intellexiſſe ſibi perſuadeat? Declarant libri, eos de ſyſtemate non cogitaſſe modo, ſed etiam id inchoaſſe; quin etiam complures variasve diſpoſitiones obtulerunt poſteritati, atque adeo primas lineas & Kleinianae & Linneanae quoque quodammodo duxerunt. Nulla vero ex omnibus diſpoſitionibus in hiſtoria ipſa vſi ſunt, neque ideo earum mentionem iniecerunt, quod non cogitant, e. c. Ariſtotelem reprehendentes, qui cum annotaverit, alia eſſe quadrupedia vngulata, alia digitata, tamen hanc diviſionem in opere ipſo non ſit omnino & diligenter ſecutus; (3.) non magis quam Plinius, qui volucrum primam diſtinctionem pedibus maxime conſtare docens, cum aut aduncos vngues habeant, aut digitos, aut palmipedum in genere ſint; tamen in hiſtoria ipſa hac via aberravit. (4.) Mirum profecto, ſi vel aliquo modo iſtas diviſiones ſequuti videantur, cum

(3.) Ariſtot. hiſt. an. L. 2. Cl. Reyger in praefatione ad Kleinii quadrup. diſpoſit: Ariſtoteles hat ſich aber in den Beſchreibungen der Thiere nicht nach dieſer Eintheilung gerichtet, weil man damals noch an keine ſolche Ordnung gewöhnt war, und den Nutzen derſelben noch nicht einſah. Atque in praefatione hiſtor. avium aſperioribus verbis Plinii volucrum hiſtoriam perſtringit.

(4.) Plin. L. 10. c. 11.

cum hoc nec ipsi spectarunt. Verum quidem est, Plinium in prima volucrum historia descripsisse primum ea, quae prima etiam fuissent, quando rationem modo laudatam fuisset sequuturus. Nam agit de Struthiocamelo, de phoenice, de aquilarum genere, de vulture, accipitre, caet. Sed idem etiam Plinius in terrestrium (5.) historia primum egit de Elephante & mirae magnitudinis serpentibus; in animalium aquatilium vero de balaenis (vbi primum disputat, cur maxima in mari sint animalia) & in insectorum denique de apibus. Quid igitur? Voluit sine dubio ab iis animantibus principium ducere, quae aliis in eodem genere maxime praestabant; in illis itaque spectavit ista, quae propter immanem corporis molem hominibus admirationem movent; in his vero, quae cuncta non hoc modo nos afficiunt, ea quae ob admirabilem naturam & in primis ob insignem vsum, quem generi humano afferunt, prae aliis insectis maxime admirantur homines. Sumsit initium Buffon ab equo, cui adiunxit asinum, quod etiam convenire videtur cum Kleinii systemate. Verum videns, ab eo deinde discedentem, quis est, qui eum via ingressa aberrasse putat? Quamquam, vt verum fatear, malo coniicere, virum propterea accura-

tam

(5.) In terrestrium inquam historia, ad quae non quadrupedia sola refert. Recte atque commode igitur elephantem excipiunt serpentes mirae magnitudinis, nam etiam hi sunt terrestria.

tam dispositionem neglexisse, quod vtilitatem & rationem, cur adhaerescant alii ad systema, non bene intellexerit. Nam ita fere contra reliquos disputat, vt lectoribus haec suspicio suboriatur necesse sit. Sed de Aristotele credere, eum sine certo ordine ob eam caussam animalia descripsisse, quod ignoraverit, quantum vtilitatis afferat, illius tantum erit, qui reliquos philosophi libros non legerit. Tanti fecit Aristoteles accuratam methodum, vt nefas duxerit, immaturo vsu posteritati inde orituram vtilitatem eripere vel difficiliorem reddere. Neque *ἀδύνατον* philosopho fuisse vel cogitari potest, ordinem, si quem eiusmodi elegisset, in opere tenere, illi, inquam, qui ipse novum dialectices condidit systema. Si quis videt Cyclopas a summo artifice Rubens pictos (quos Hagae comitum admirarus sum) & oculi forte in rem aliquam incidunt, quam *πάρεργον* pictor credidit, nec propterea ea diligentia, qua Cyclopas ipsos, pinxit, num is inde poterit coniicere, pictorem non potuisse hanc rem, si libitum fuerit, eodem artificio absolvere? Ergo potuit, sed noluit eiusmodi ordinem servare Aristoteles, noluit item Plinius, noluerunt reliqui. Sed diversa prorsus ratione vsi sunt. Aristoteles quidem indicat breviter differentias varias omnium membrorum, pedum, dentium, genitalium, ciborum, locorum, quo degant quaeque, morborum, quando

coeant,

coeant, pariant, caet. atque vbique exempli gratia animalia, quae nota erant, nominat; multus eſt in primis in deſcribendo corpore humano, quo facilius, quod ſit reliquis animantibus proprium, poſſit intelligi. Agit itaque ſeparatim de quoque corporum animalium membro, ſed non ſeparatim dat animantis cuiusve hiſtoriam, quam ſi ex eo diſcere, velis, debes capitis formam, vbi de capitum agit differentiis, pedum, vbi de pedum differentiis, & ita etiam reliquarum partium formam alio alioque loco quaerere. Neque vbi membrorum diſcrimina docet, vsque eodem ordine animalia enarrat, ſed modo de homine primum, modo de quadrupedibus agit. (6.) Plinii vero opus magis ad ſimilitudinem ſyſtematis accedere videtur. Separatim enim omnium tractavit animalium hiſtoriam; at ita, vt nullo in iis enarrandis ordine vſus ſit. Similitudines vero & differentias partim hiſtoriae ipſi, vbi commodum locum obtulit occaſio, inſeruit, partim in calce adiecit. (7.) Quod etſi lectori cuique facile

(6.) Accuratam operis Ariſtotelici epitomen dedit ill. Buffon 1. Th. p. 30. ſeqq.

(7.) Plinii etiam opus iuſte ac recte aeſtimavit Buffon, cui hic verba legere, quibusdam non erit ingratum. Plinius hat alles zuſammen faſſen wollen, und es ſcheint, als ob er die Natur abgemeſſen, ſelbige aber für ſeinen groſen Geiſt noch allzuklein erachtet habe. Seine Naturgeſchichte enthält, auſſer

facile intelligitur, tamen probandi caussa quaedam adiiciamus. Agit in aquatilium historia de testudine eiusque putamine, quod admiranti redit in memoriam varia omnium animalium aquatilium tegumentorum ratio, quare eam non temere inserit: *alia*, inquiens, *corio &*

pilo

ausser der Historie der Thiere, der Pflanzen und der Bergarten, zugleich die Historie des Himmels und der Erde, die Arzneykunst, die Kaufmannschaft, die Schiffahrt, die Geschichte der freyen und mechanischen Künste, den Ursprung der Gebrauche, kurz alle natürliche Wissenschaften und alle menschliche Künste. Das bewundernswürdigste hierbey ist, daß Plinius in jedem von diesen Stücken gleich gros ist. Die Hoheit seiner Begriffe, und das Edele in seiner Schreibart machen seine grose Gelehrsamkeit noch sichtbarer. Er wuste nicht allein alles, was man zu seiner Zeit wissen konte, sondern er besaß auch die Fertigkeit, erhaben zu denken, welche seine Wissenschaft noch weitläuftiger machet. Er hatte dabey etwas feines im Nachdencken, wovon die Zierlichkeit und der gute Geschmack herrühren, und er erreget bey seinem Leser eine gewisse Freyheit im Verstaude, und eine Dreustigkeit im Denken, welche die Quelle der Philosophie ist. Sein Werk ist eben so mannigfaltig, als die Natur selbst, und er verschönert sie allzeit durch seine Schildereyen. Man kan es zugeben, daß es ein Zusammentrag von allem, was vor ihm geschrieben worden war; allein diese Abbildung oder dieser Zusammentrag enthält Sachen in sich, die auf eine so neue Art zusammen getragen sind, daß sein Buch den meisten Originalwerken, die von dieser Materie geschrieben werden, weit vorzuziehen ist. Naturh. 1 Th. p. 32.

pilo teguntur, vt vituli & hippopotami, alia corio tantum, vt delphini; cortice vt testudines; silicum duritia & vt ostreae & conchae; crustis vt locustae; crustis & spinis, vt echini; squamis vt pisces; aspera cute, vt squatina — molli, vt muraenae; alia nulla, vt polypi. (8.) Habes hic distinctionem satis bonam, quae quo melius intelligeretur, addidit vbique nomina exempli caussa, sed ea distinctione non vsus est in historia ipsa, quia non alia, sed nulla plane vti voluit. Atque huiusmodi plures passim adspersit. Piscium alios branchias multiplices habere, annotavit, alios simplices, duplices alios. (9.) Marinos alios esse planos, alios longos, (10.) nec pinnarum neglexit discrimina, (11.) nec diversitatem in pastu potuque in aliis animantibus. (12.) Exposita vero vniversa Zoologia retractat omnem historiam per singulas corporis partes membratim, (13.) ibique primas complurium systematum lineas duxit. Quae qui diligenter & sine praeiudicata opinione leget, non solum Plinium in

(8.) Plin. L. 9. c. 11. edit. Hard. 1. p. 504.
(9.) L. 9. c. 18.
(10.) ib. c. 20.
(11.) ibidem.
(12.) Extremo libro decimo.
(13.) L. 11. c. 37. in initio: *Num per singulas corporis partes, praeter iam dicta, membratim tractetur historia.*

in Zoologia optime verſatum eſſe confitebitur, verum etiam mecum ſentiet, hunc nec multorum ſyſtematum elementa ignoraſſe. Ea verbi cauſſa de mammis, ea de dentibus animalium diſputat, quae bene reſpondent *mammalium* claſſi Linnaei. Quae cum ita ſint, haud dubie inde conficitur, veteres quidem eo fuiſſe ingenio, vt quae habeant animalia communia, quae propria animadverterint, ſed noluiſſe immaturo ſyſtemate frui. Verum quidem eſt, Plinium in volucrum hiſtoria ſtatim ab initio primum avium diſtinctionem praemiſiſſe, ac vbi primi generis hiſtoriam dederit, monuiſſe, ſe iam de ſecundo eſſe dicturum, quod in duas ſpecies dividit. (14.) Nullum vero id quidem argumentum eſt contra ſententiam noſtram. Namque in animo habuit earum primum avium hiſtoriam tradere, quae corporis magnitudine aliis praeſtant, quae, cum omnes fere ad primum genus pertineant, hoc voluit monere, ac tunc, quaſi oratione ita praecipiente, primum de ſecundo genere dicit, ſed ita, vt mox quae ipſa ſeſe obtulerat, deſerat diſtinctionem. Neque ipſe ſecundum genus in duas diviſit ſpecies, ſed erat haec augurum diviſio, ſatis cuique tunc nota. (15.) Hoc qui-

(14.) L. 10. c. 19. edit. Hard. 1. p. 553. *Nunc de ſecundo genere dicamus, quod in duas dividitur ſpecies, oſcines & alites.*

(15.) Nota eſt res & confirmatur a Cicerone de Nat. Deorum 2, 64. *Aves quasdam & alites & oſcines,*

quidem inter omnes constat, Plinium primum omnium dedisse terrestrium animalium historiam, deinde aquatilium, volucrum postea & denique insectorum, quam Plinianam dicere distinctionem, per me quidem licet. (16.) Sed haud dubie hi errant, qui hanc vel illam divisionem vel avium vel piscium Aristotelicam aut Plinianam nominant, cum nulla plane ratio, cur e compluribus, quas vterque propinavit lectoribus, hanc vel illam potius Aristotelicam aut Plinianam dicas. Atque cum veteres saepe numero eadem animalia varia ratione in alia atque alia genera diviserunt, iniustum omnino est, omnia haec genera ad vnam referre divisionem & veteres *fallaciae divisionis* accusare. Liceat huius etiam rei exemplum adferre. Plinius magnam ludentis naturae varietatem in conchis admirans, colorumve & figurae differentias, varia recenset concharum genera eo consilio, vt lectoribus etiam eandem movere queat admirationem, nequaquam vero adaequatam, quam dicunt Logici, divisionem docturus. Ad hanc rem non diligenter adtendit animum

 mum

nes, vt nostri augures appellant, rerum augurandarum caussa esse natas putamus.

(16.) Singulis nimirum libris tractavit historiam, quippe libro octavo terrestrium, nono aquatilium, decimo volucrum & vndecimo insectorum.

mum cl. C. G. Fischerus, (17.) ex hoc Plinii loco XXXIII. concharum genera efficiens eamque methodum Plinianam dicens. Nullam habuit Plinius methodum, multo minus talem, qualem ei tribuit vir eruditissimus. Nonne hoc ipse

(17.) C. G. Fischerus hunc Plinii locum commentatus est in actis erud. Lips. 1733. p. 487. quam quidem dissertationem ipsam legere mihi nondum contigit. Retulit vero e viri celeb. mente Plinii methodum vir illustris C. A. de Bergen *Classes conchyliorum* Norimb. 1760. p. 8. atque hinc hausimus. Plinii quidem locus hic est: *Firmioris iam testae murices & concharum genera: in quibus magna ludentis naturae varietas: tot colorum differentiae, tot figurae, planis, concavis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe caesis, in dorsum elatis, levibus, rugatis, denticulatis, striatis: vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato. Jam distinctione virgulata, crinita, crispa: cuniculatim, pectinatim divisa: imbricatim vndata, cancellatim reticulata: in obliquum, in rectum expansa, densata, porrecta, sinuata: brevi nodo ligatis, toto latere connexis, ad plausum apertis, ad buccinum recurvis. Nagivant ex his Veneriae — saliunt pectines, & extra volitant, seque & ipsi carinant.* Plin. L. 9. c. 33. Nescio cur omiserit cel. Fischerus in methodo: cancellatim reticulata. Eundem hunc Plinii locum observationibus recentiorum physicorum explicavit I. Th. Klein in *Tentam. methodi Ostracologicae sive Disposit. natur. Cochlidum & Concharum* Lugduni Batav. 1753. 4. cui quidem recte veteres nondum de generibus constituendis solliciti fuisse videntur.

ipſe indicat noſter, cum ex iis addit, quae recenſuit, concharum generibus, quasdam navigare, ſalire alias? Neutiquam peculiare navigantium atque aliud ſalientium genus generibus iam a ſe nominatis voluit addere, ſed magnam tantummodo laudare varietatem. Conſueverunt igitur veteres animalia varia ratione dividere, differentiasque membrorum omnium ſingulatim atque reliquas varietates ſingulari ſtudio annotare, quae res dici non poteſt, quantum auxerit eorum cognitionem. Hodie qui ſyſtemate e. c. ill. Linnaei vtuntur, complures ex his diligenter quidem variam dentium in quadrupedibus ſive *mammalibus* formam & ſitum diſcunt, minor vero eorum cura in pedibus eſſe ſolet, quos ii e contrario accuratius notant, qui Kleinii favent diſpoſitioni, neglecta male dentium varia ratione, eorumque membrorum; quorum minor auctoritas aut rarior vſus eſt in ſyſtemate. (18.) Male hoc quidem. Nam quo quis plures differentias ac varietates novit, eo doctior mihi quidem videtur. Veteres per omnes partes membratim tractabant hiſtoriam atque vbique quantum pro eorum aevo fieri poterat, differentias cunctas eadem diligentia inveſtigabant atque tradebant. Operam dant anatomici anatomiae comparatae, vellem

(18.) Multus hoc in argumento eſt D'Aubenton, qui vero temere hanc deſidiam omnibus, qui ſyſtemate aliquo vtuntur exprobrat.

lem peculiari volumine a viro docto exponi omnes differentias, quae inter omnia omnium animalium membra intersunt, more Aristotelis. Profecto vtilissimum hoc foret opus. Attamen vt verum fatear, quantum mos veterum differentias omnes colligendi atque annotandi profuit Zoologiae, tantum etiam varia illa systemata, quae recentior aetas excogitavit prosunt vel prodesse possunt, si quis non in vnius cognitione, sed plurium velit versari. Variam dentium atque accuratam notitiam debemus ill. Linnaeo, pedum vero Kleinio aliisque. Atque hic est systematum vsus, quorum multitudo alioquin plus incommodi quam commodi affert. Physici quondam studuerunt Thermometra reddere harmonica, hodie vero, cum permultae & diversae omnino Thermometrorum scalae in vsum venerunt, in tanta harmonicorum copia vix nobis harmonica esse dicere possumus. Quam vtilitatem naturae historici ex accurato systemate capere voluerunt, eam sine controversia offert Linnaeanum illud; novum vero si quisque vult cudere illudque obtrudere viris doctis, minor erit systematum vsus, quo maior eorum copia.

Verum de veteribus nobis sermo est, quorum libri declarant, hos, etsi animalium tunc nomina in nullum systema erant coacta, tamen facilius rectiusve intellexisse, de quo quisque animali loqueretur, quam futurum esset, si quis

nostra

nostra aetate Zoologiam contexere vellet, negligens omnino systematum nomina. Quis est enim, qui sibi persuadeat, se piscium verbi gratia posse historiam ita scribere, vt nomina non addens, quae systematum auctores piscibus indiderunt, nihilo minus a lectoribus intelligatur? Ἀδύνατον hodie certe videtur. Veteres autem si quis de orca, de antacaeo alius loquebatur, statim de quonam aquatili sermo intellexerunt. (19.) Quae res, cum eos systemate vsos fuisse negavimus, digna est, cuius hic rationem breviter investigemus. Jam vero non nego, veteres interdum parum intellexisse nomina, quibus alii in historia vsi sunt; ita Plinius nescivit, quodnam sit animal Aristoteli δασύπους dictum, de quo infra sumus disputaturi; tamen plerumque sola iis nomina suffecisse ad agnoscendum animal quodcunque videmus. Prima sine dubio atque praecipua fortasse ratio fuit exiguus, quae tunc temporis nota erant, animalium numerus. CXLIV modo pisces Plinii aetas novit & M. plantas; Linnaei vero plantas ccIↃↃ. (20.) & pisces CCCLXXXV.

 cum

(19.) Lin. philos. botan. p. 250. *Patres* (ita vocat veteres, de quibus hic nos agimus) *conveniebant plerumque in plantarum nominibus, genericis solum contenti.*

(20.) Ex sententia ill. Linnaei, qui in praefat. spec. plantarum ita: *Numerum plantarum totius orbis longe parciorem esse, quam vulgo creditur, satis certo*

cum Plinius multa aquatilia ad piſces retulerit, quae Linnaeo piſces non ſunt. Veteres ea fere tantum animalia noſcebant vel in hiſtoriam referebant, quae vel forma vel magnitudine, vel vitae ratione vel vſu vel re alia notabili praeſtabant aliis & ſpecies modo, quae facile diſtingui poterant; atque his magna ex parte etiam in hodiernis linguis nomina conſtant; tam multa autem animalia, quam hodie in Zoologia recenſentur, quaeque ſaepiſſime vel in levi & vix notabili re differunt, nulla eſt lingua, nec Arabica, credo, cuius admirabilem copiam ſunt qui vehementer iactant, in qua nacta ſunt nomina propria. Ergo pauca novere animalia veteres, atque eorum non omnium, ſed praecipuorum modo dederunt hiſtoriam. Neque tunc temporis nomina erant non firmiora apud Latinos, quam nunc ſunt animalium apud nos, cum alii alia imponant animantibus. Aenea demum aetas immutavit rerum nomina reddiditque dubia. (21.) Graecae vero linguae ea fuit felicitas, vt conſtantiſſime ſervatae ſint vo-

ces,

certo calculo intellexi, vtpote qui vix 10000 attingat. At Adenſon Familles des plantes, à Paris 1763. numerum plantarum, quae notae ſunt, eſſe 18000. contendit, earum vero quae ignotae adhuc 25000.

(21.) Lin. philoſ. botan. p. 250. §. 318. idem in plantis eveniſſe notat: *Commentatores ob defectum deſcriptionum & figurarum in patrum ſcriptis, varie eorum nomina plantis adplicabant.*

ces, ita quidem, vt quibus Herodotus, quibus Homerus res nominarunt, iisdem ipsis etiam vsi sint posteri. Multum hoc quidem adiuvit. Deinde etiam apud Graecos ac Latinos tanta fuit Aristotelis auctoritas, quanta hodie est Linnaei, ita vt qui nomina, quibus ille vsus erat, addiderat, satis descripsisset animalia. Denique hoc vel maxime annotandum, duas olim tantum fuisse linguas, quarum vsus latissime patuit, Graeca nimirum atque Latina. Graecia quidem per multa saecula omnium fuit litterarum παιδευτήριον, quamobrem quoque multis rebus Graeca indita sunt nomina eaque servata. Atque etiam posteaquam hanc litterarum laudem languenti Graeciae eripuerant Romani atque transtulerant in suam civitatem, tamen Graeca in omnibus fere gentibus continuo legebantur & quam gloriam perdiderat gens, eam retinebat vsque quaque lingua huius, Latina vero suis finibus, exiguis sane continebatur, (22.) quamquam post deinde crebrae Romanorum victoriae atque frequentes coloniae vel remotissimas docuerint gentes linguam Latinam. Soli

 fuere

(22.) Cicero pro Archia poeta c. 10. *Nam si quis minorem gloriae fructum putat ex Graecis versibus percipi, quam ex Latinis, vehementer errat, propterea quod Graeca leguntur in omnibus fere gentibus: Latina suis finibus, exiguis sane continentur.* conf. diss. Lud. Wilh. Ballhorn, *de linguae Latinae imperio Augusti primorum Caesarum imperii fructu.* Hannoverae 1764.

fuere Graeci ac Latini, qui litteras artesque coluerunt, atque hi ſive animalium nomina a Graecis acceperint, quod maxima eorum pars arguit, ſive aliunde, ſive ipſi nova cuderint, facillime a civibus intelligi poterant. At hodie cum hiſtoria naturalis non ab vna tantum gente colitur, ſed ab omnibus, quae litteras amant, intulit ei vnaquaeque complura nomina ſuae linguae, quae reliquae ſtatim intelligere nequeunt. Hinc illa ſynonymorum ingens turba, quibus hiſt. nat. iam ſcatet, quae ſtudioſis moram inferunt, redduntque nobis doctrinam multo difficiliorem. Nam etſi inſigni communis litterarum vehiculi i. e. linguae Latinae vſu fruimur, tamen etiam in ipſam magna nominum barbarorum & variarum linguarum copia irrepſit. Ita verbi gratia in piſcium hiſtoria occurrunt nomina Teutonica, Belgica, Anglica, Suecana, Gallica, Portugallica, Italica, Americana, Aſiatica. (23.) Quae res cum veteribus impedimento non fuerint, facilius potuerunt accurata animantium diſpoſitione, quae nobis neceſſaria plane eſt, carere. (24.)

Verum

(23.) Collegit eiusmodi nomina Artedus in Ichthyologia p. 72. & quae nomina barbara in Botanica offendebantur, antequam a viris doctis eiecta erant, ea habes in philoſ. botanica Linnaei p. 163.

(24.) Erant quidem iam Plinii memoria nomina barbara in hiſtoria nat. Nam ita ipſe in praefat. Lib. I. *Rerum natura, hoc eſt vita narratur, & haec*

Verum tamen cum veteres ordine aliquo, quicunque demum fuerit & quantumvis a recentiorum systemate abhorruerit, Zoologian tractaverint necesse est, eum, qui non Plinii aut Aristotelis tantum libros, sed complurium veterum, quos propter concinnitatem sententiarum ac verborum acutissimi viri admirantur, diligenter lectitavit, non difficulter animadvertet. Nimirum pulcrum iudicabant more saeculi, quaecunque scribebant vno fere tenore & continuatione contexere, ita vt ea etiam quae diversitatem aliquam habent, arte quadam inter se devincirent, latentibus, vt in Corinthia columna membris in statuarii opere commissuris & subtiliter permistis, velut in pictura extremis partis cuiusque lineis. Cuius rei clarius & mirabilius exemplum non esse Ovidiano Metamorphoseon opere, constat, quod qui vno quasi spiritu legere volet, ille demum poetae ingenium mirabitur, qui mille partes dissimillimas ita inter se coagmentaverit, vt vno solido factum marmore totum illud templum videatur. Atque laus ista merito etiam in Plinii convenit historiam naturalem, quam etiam Gesnerus, quo neque quisquam noverit veterum

in-

haec sordidissima sui parte, vt plurimarum rerum aut rusticis vocabulis aut externis, immo barbaris, etiam cum honoris praefatione ponendis. Verum tunc temporis res, quibus nomina barbara indita erant, ea retinebant, cum hodie vnaquaeque lingua ea mutet novaque substituat.

ingenium melius, eodem nomine laudavit; *quam apte*, aiens, *Plinius ille naturae historicus transitione saepe diversissimas res connectit? vt vnum voluisse illum librum vno quasi protelo percurrere appareat.* (25.) Hic est vnus ac verus ordo, quem sequi voluit Plinius, ne quis igitur quaerat systema eius.

§. 2.

De ipsis vero animalium descriptionibus pauca habeo dicere. Plinius docturus separatim differentias, quae inter corporum partes omnium animalium intersunt, ad ipsam horum descriptionem ea tantum retulit, quae potissima animali cuique erant propria & in primis, quae de vitae ratione notatu digna censuit; quam ob rem historiae non possunt lectori parum intento breviores non videri. Hodie omnibus numeris absoluta ea existimatur historia, in qua indicantur diligenter genus & species, quo referendum animal, de quo sermo; eiusque patria, cibus & potus, motus, quies, somnus, propagatio, sonus, quem edit, aetas, quam plerumque attingit, mores, sensus, morbi eorumque remedia, vsus modusque tandem animal venandi, qua ratione omnium sine controversia vtilissima, etsi veteres non vsi sunt, tamen compertum habeo, cum periculum fece-

(25.) Gesnerus in praefat. ad auctores rei rusticae. pag. XXIV.

cerim, quae ad ſingulorum animalium hiſtoriam faciunt & apud veteres hic & illic diſperſa leguntur, colligendi ac in formam hodie receptam redigendi, veterum diligentiam nihil quidquam intactum reliquiſſe, ad quod phyſici hodierni animum attendunt. Deinde veteres maiori diligentia vtilitates, quas beſtiae adferunt agriculturae, medicinae (1.), horticulturae aliisque artibus annotabant, quam eas res, quarum vſus non praeſens. Neque hoc temere. Nam noſtra demum aetate, poſtquam iam pleraeque res ad vſum traductae ſunt a maioribus, licet & convenit diligentiae & attentioni noſtrae, ad parva beſtiolarum opera & membra deſcendere eaque microſcopiorum ope, quae ad hanc rem obtulit fortuna cernere, metiri, delineare atque deſcribere, vnde non minora com-

(1.) Sunt quibus nimis multus Plinius videtur in recenſendis medicinis ex animalibus ac herbis. (Lib. 26-33.) ſed docuit ibi totam materiam medicam veterum, quam ſane nimis auxerunt, corradentes vndique remedia, quae non poterant non interdum eſſe nullius pretii, cuiusmodi etiam nunc multa ſuperſunt, quae reiiciuntur paullatim a viris doctis. Conf. *Ludovici Pharmacia moderno ſaeculo applicanda* & *Rivini diſſ. de medicamentorum officinalium cenſura.* caet. Quae cum ita ſint, nihil poſſumus Plinii aetati exprobrare. Atque non temere materiam medicam adiunxit hiſtoriae naturali, cuius quippe non negligenda pars eſt, quamque nemo, niſi qui in hiſtoria naturali bene verſatus eſt, docere poteſt.

commoda interdum exiſtere ſcimus e longiori vſu. Eo autem adduci non poſſum, vt credam, veteres nihil aliud praeter commoda & vtilitatem in hiſtoria naturali ſpectaſſe, quod contendit ill. Buffon, neque quemquam, qui quae nobis iam dicta ſunt animo percurrere velit, ita poſſe ſentire perſuaſum mihi habeo (2). Probatum it quoque Buffon, hiſtoricos naturae veteres in plurimis doctrinis verſatos & majori eruditione ornatos fuiſſe, quam recentiores, atque hoc in cauſſa eſſe putat, cur illi plures res, vtiles illas quidem & jucundas, ſed ad hiſtoriam naturalem non vere facientes operi ſuo intuliſſent; itemque veteribus majori fuiſſe curae, veras & diligentes enarrationes referre quam recentioribus; quas vero ſententias nos quidem aliorum virorum iudicio permittamus. Hoc quidem conſtat, iſtos vbique in rebus non cuique notis vnde eas acceperint, indicaſſe, quo pertinet frequens illud: *relatum legimus in annalibus — factum eſt conſulibus — vidimus — audivimus — memoriae prodidit* — & quae ſunt plura ejusmodi. Supereſt autem alia res de veterum deſcriptionibus annotanda maioris ſane momenti. Utebantur ſaepe numero deſcripturi habitum, ſeu formam corporis vel partes animalis cujusdam, comparationibus.

(2.) Hiſtorie der Natur 1 Th. 1 B. 28. S. vbi mecum ſentientem videbis celeberrimum Keſtnerum.

bus. Cui rei ſit exemplo chamaeleonis, quam dedit Plinius, deſcriptio: *Figura & magnitudo erat lacertae, niſi crura eſſent recta & excelſiora. Latera ventri junguntur, vt piſcibus & ſpina ſimili modo eminet. Roſtrum, vt in parvo, haud abſimile ſuillo: cauda praelonga in tenuitatem deſinens, & implicans ſe viperinis orbibus: Ungues adunci: motus tardior, vt teſtudini: corpus aſperum, ceu crocodilo* (3). Declarat hoc exem-

(3.) Plin. L. 8. c. 33. quae omnia iſta hauſit ex Ariſtotelis L. 2. hiſt. an. Μετεωρότερος δ' ἐςὶ ἀπὸ τῆς γῆς ἀποςάσει, τῶν σαύρων τὰς δὲ καμπὰς τῶν σκελῶν, καθάπερ οἱ σαῦροι ἔχει — τὰ δὲ πλευρὰ κάτω καθήκει συνάπτοντα πρὸς τὸ ὑπογάςριον, καθάπερ τοῖς ἰχθύσι. — ἡ ῥάχις ἐπανέςησεν ὁμοίως τῇ τῶν ἰχθυων. Habes ergo hic duplex rei exemplum & ex Ariſtotele & ex Plinio. Subiiciamus quam dedit cl. Denſo interpretationem. Die Geſtalt und Gröſſe der Ratteneidexe wäre einer gewöhnlichen Eydexe gleich, wenn die Füſſe nicht gerade und höher wären. Die Seiten des Leibes haben wie bey den Fiſchen ihre Rippen, der Rückgrad auf gleiche Art. Die Schnautze ſtehet und iſt im kleinen einem Saurüſſel nicht ungleich. Der Schwanz iſt ſehr lang und gegen das Ende zu gar dünne, und krümmet ſich in ſchlangenartige Wirbel: Die Klauen ſind gekrümmet, die Bewegung iſt langſam, wie bey einer Schildkröte: der Leib rauch, wie am Crocodile: die Augen liegen tief im

emplum, veteres non fere perſpicuis & diſtinctis verbis deſcripſiſſe animalia minus nota; ſed

im Haupte, ſind mit einem kleinen Unterſchied ſehr groß und dem Leibe gleich an Farbe. Liceat his quaedam adiicere. Offendit me nomen Ratten-eidexe. Quotusquisque enim eſt, qui ſtatim ſciat, quodnam ſit animal illud, cui indidit hoc nomen cl. Denſo? Neque ſatis habeo nomen Latinum in margine adſcriptum videre. Omnes, quorum ego memini naturae hiſtoricorum, non mutant nomen Chamaeleonis; quare nullo modo Ratten-eidexe poteſt auctoritate theſauri Fabri, in quo illud adſcriptum eſt, probari. Non ignoro, diſputaſſe non nullos de nominis Chamaeleonis ratione, quae ſit & ſi conveniat in animal. At vt nullo modo conveniat, tamen propterea non debet illico mutari, neque a Linnaeo neque a Kleinio mutatum eſt, cuius quidem placet ſententia: *nomen ſervamus, ne animalculum in dubium ponamus*. Recte hoc quidem. Nam quid futurum, ſi quisque pro lubitu animalium velit nomina mutare? Damnavit cl. Denſo in praefatione & faſtidivit Harduini editionem Plinii, ob crebras ſcilicet & dubias emendationes. Laudo viri temeritatem. At quis eſt, quin tot emendationibus aliquid certe boni ineſſe poſſe credat? Tanti fuerit ſine controverſia eum virum in iſtis ſaltem locis, quae emendatione indigent, conſulere, eum, inquam, virum, qui magna eruditione ac librorum copia inſtructus per multos annos ſedulo operam navavit Plinii explicationi. Atqui ſi vnquam emendatio neceſſaria, ſi vlla Harduini vera, ea profecto eſt, quam huic adhibuit loco. Reddantur per me licet, verba: *latera ventri iungun-*

ſed e contrario alia modo nominaſſe, quorum ad ſimilitudinem proxime accedere videntur. Hodie qui vel imbutus modo eſt Hiſtoria naturali, non ignorat, eſſe ejusmodi deſcriptiones

guntur, vt piſcibus: Die Seiten des Leibes haben wie bey den Fiſchen ihre Rippen. At quid ſibi vult hocce: Der Rückgrad auf gleiche Art. Die Schnautzel ſtehet? Nimirum legiſſe videtur cl. Denſo: *& ſpina ſimili modo. Eminet roſtrum* — - ſed cum totam rem hauſerit noſter ex Ariſtotele, cuius iam verba retulimus, cui, quaeſo, non probatur interpretatio Harduini vel potius Pintiani; *Latera ventri iunguntur vt piſcibus, & ſpina ſimili modo eminet. Roſtrum vt in parvo haud abſimile ſuillo.* Jam ſi ita leguntur, bene omnia conveniunt. De verbis der Leib iſt rauch, wie am Crocodile dubito, quin lectores inde poſſint coniicere *aſperum* corpus a Plinio eſſe vocatum. Convenire vero τὸ aſperum optime, ſcit, cui Chamaeleonem videre contigit. Corpus eſt enim nequaquam piloſum (rauch) ſed nec levis, ſed tuberculis minimis obſitum, ita vt recte vocetur aſperum. De verbis vero iſtis: Die Augen liegen tief im Haupte, ſind mit einen kleinen Unterſcheid ſehr groß, perſuaſum mihi habeo, neminem inde Plinii poſſe ſententiam diſcere. Multo meliorem potuerit accipere interpretationem ab Harduino, qui ita: *Oculi tenui diſcreti inter ſe ſpatio & iidem praegrandes*; quod probant anatomici Pariſienſes, ~~cui~~ quibus accuratam debemus animalis delineationem, docentes oculos ſe proxime contingere in interiori parte, qua cerebrum

nes plane nullas. (4.) Plus enim nocent quam prosunt. Verum tamen, veteres, graecos dico & latinos plerumque animalia minus nota notioribus contulerunt, non ignota ignotis, (quod paulo ante παλιγγενεσίαν Historiae naturalis in morem abierat) neque propterea in vitium illud inciderunt, quod nescio an possit *circulus in describendo* vocari; (5.) neque istius modi comparationibus sine addita explicatione vsi sunt. Nam vides Aristotelem & Plinium sese Chamaeleonem propter similem laterum juncturam & spinae eminentiam piscibus, propter tardum motum testudini, propter asperitatem corporis crocodilo comparare adjecisse. Quam ob caussam injustus videtur Hasselquist, (6.) qui,

brum adeunt. Denique in verbis, quae laudata excipiunt: Der Wurm selbst sitzt hoch, vsus est cl. Denso voce Wurm, contra recentiorum loquendi morem & contra Plinii quoque sententiam, qui Chamaeleonem nequaquam vocaverit vermem.

(4.) Lin. Fundam. botan. 261. *Notae collatitiae cum aliis speciebus diversi generis falsae sunt.*

(5.) Erant leones & crocodili Latinis satis tum noti, quippe qui multi saepius Romae fuerunt; quare Plinius non temere Chamaeleonem cum eis contulit. Atque huc pertinet aliquomodo lex ab ill. Linnaeo lata in Fund. Botan. 299. *Similitudo omnis, in nomine specifico vsurpata dextra manu notior erit, licet & haec minus placet.*

(6.) Hasselquist in itinerario p. 280. interpret. Germ. *Si veterum methodum quis imitari vellet in de-*

qui, vt possit veterum studia ludibrio habere, horum describendi modum in Jaculi Historia imitari conatus est, sed dedit exemplum, quod nec in Aristotelis, nec in Plinii, nec in Aeliani convenit descriptiones, sed fortasse in Alberti Magni eique aequalium. Asperioribus profecto verbis perstringunt naturae historici recentiores veterum vitia erroresque, cum aequiore animo ferant philosophi istorum somnia & deliria. Satis vero intelligitur, istius modi comparationes non potuisse non in errores inducere parum attentos lectores, quo de argumento cum deinde disseramus, hoc iam agamus, vt rationes, cur maiores animalium similitudines comparaverint, intelligantur. Nulla est lingua hodierna vel verbosissima, quae animalia omnia omnesque eorum partes possit nominare. Nec quae desiderantur nomina statim addi possunt, quod quidem facilius fit in lingua mortua. Est enim tyrannus visus loquendi, cui devicto demum leges obtrudere possumus. Quare non licuit Aristoteli philosophiam Ichthyologicam aut systema Naturae scribere, non

 Di-

describendo hoc animali dici certe posset, habere illud caput leonis, mystaces sciuri, rostrum suis, corpus, aures & pedes anteriores muris, pedes posteriores avis & forte caudam leonis. En monstrosum animal & veterum modo describendi & quod monstrum hodie esset, si ante 2000. *annos delineatum fuisset.* — Mallem dixisse virum ante 200. annos.

Dioſcoridi, non Theophraſto philoſophiam Botanicam, ſed licuit Linnaeo, licuit Artedo, cum non Vernacula, ſed peregrina; non viva, ſed mortua vterentur lingua. Poterant iis rebus, quae a Latinis nominatae non erant, imponere nomina; poterant iis nomina firmare, quibus non ſatis conſtabant; atque hac ratione ſibi ipſi parare, quae ad accuratam rerum naturalium deſcriptionem ſunt neceſſaria, nec a veterum ſibi diligentia ſuggeſta. Quapropter etiam nunc deſcripturi plantas novas vel animalia, lingua Latina vtuntur, etiam in libris ſermone patrio ſcriptis, cuius rei exempla vbique e. c. in itinerariis Linnaei, Haſſelquiſtii, Osbekii caet. occurrunt. Paulatim vero nova illa verba Latinae illata redundant quoque in linguas hodiernas, ſed eiusmodi acceſſiones non cito ſubitoque ſed ſenſim pedetentimque fiunt. Temere igitur inopia linguae, tanquam teſtimonio deſidiae rerum naturalium, vtuntur nonnulli contra veteres. Verum quidem eſt, ſi multi olim confluxiſſent ad Hiſtoriae naturalis ſtudium, non magis egeret ea nominibus neceſſariis, quam apud nos res nautica, vel metallica; ſed pro tempore, quo Graeci, quo Romani litteras coluerunt, nominum nummerus ſatis mihi magnus videtur; illi per plura ſaecula litteris operam dederunt, hi per pauciora, quapropter his pauciora, illis plura fuere vocabula. Immo compluribus rebus, quibus iam nomina

in-

indiderant veteres, nova imposuerunt recentiores, aut mutarunt, tanquam minus idonea. Quae cum ita sint, facile cuique intelligitur, veteres, si vel maxime voluissent & minutissima etiam consectati essent, tamen non potuisse tam accurate describere res naturales, quam nos, qui nobismet ipsi cudimus nomina; atque cum nec ita facile poterant delineare eas (etsi aves in disciplina hetrusca delineatae sunt) cogebantur comparare ignotas rebus notioribus.



CAP. III.

DE FABVLIS, QVAE IN HISTORIA NATVRALI VETERVM OCCVRRVNT.

§. I.

Quidnam esse caussae putemus, cur, cum nulla doctrina sine erroribus & fabulis adoleverit, recentiores nihilo minus, quae a veteribus de rebus naturalibus falso & fabulose enarrata sunt, tam acerbis perstringant verbis? An quod maior est culpa errantis rerum naturalium indagatoris, quippe qui res illas oculis cernere & perspicere queat? At hoc nec licuit veteribus physicis, nec licet hodiernis. Quis est enim naturae historicus, qui, quae describit, omnia sese vidisse & expertum esse possit vere asserere; cum hodie omnia possint facilius conquiri, accuratius perspici, atque delineari? Quamobrem etiam veteres multa ex auditu referebant, quae partim falsa fuerint necesse est. Nostra aetate postquam tot iam viri summa diligentia & ingenio acutissimo naturam rimati sunt, magis iam istius ratio innotuit, ita vt facilius & rectius de rebus relatis & nondum visis iudicium ferre & quae vera sunt inde eligere, quae falsa reiicere possimus. Veteres

igitur,

igitur, quibus minus erat rerum natura cognita, male errassent, si omnia, quae iis referebantur mirabilia, nova ac minus verisimilia, tanquam a vero abhorrentia reiecissent, & negassent; sed male errassent etiam, si omnia ista temere credidissent & tanquam vera & experta posteritati venditassent. Quae est igitur ratio ea melior, qua vsi sunt? Mandabant memoriae diligenter quidquid notatu dignum accipiebant eo consilio, vt prodessent civibus suis & posteritati, vtque is, qui in eandem rem aliquando incideret, posset admonitus probare vera si sit, an falsa. Sed nec in istiusmodi rebus obstringebant fidem suam, sed potius ad auctores ipsos relegabant. (1.) Operae pretium duxi, evolvere ea loca, vbi veteres istas iamdudum explosas fabulas referunt de hominibus vnoculis (2.) de cynocephalis, acephalis, quibus oculi

(1.) e. c. Plin. L. 7. c. 1. *Nec tamen ego in plerisque eorum obstringam fidem meam, potiusque ad auctores relegabo, qui dubiis reddentur omnibus.*

(2.) Herodot. Thalia L. 3. edit. Stephani pag. 234. λέγεται δὲ ὑπὲρ τῶν γρυπῶν ἁρπάζειν Ἀριμάσπους ἄνδρας μουνοφθάλμους. πείθομαι δὲ οὐδὲ τοῦτο ὅκως μονόφθαλμοι ἄνδρες φύονται, φύσιν ἔχοντες τὴν ἄλλην ὁμοίην τοῖσι ἄλλοισι ἀνθρώποισι. *Dicuntur aurum a gryphibus auferre Arimaspi, viri vnoculi, quod nec ipsum crediderim, vt viri nascantur vnoculi, caeterum naturam habentes aliis hominibus parem.* conf. Plin. 72.

oculi in pectore, (3.) de phoenice, de volucre pegaso equino capite, de gryphibus, de ave cornibus hircinis, quae tragopan vocabatur, de Sirenibus (4.) & quae sunt plura eiusmodi,

(3.) Herodot. Melpom. p. 325. καὶ οἱ κυνοκέφαλοι καὶ ἐν τοῖσι στήθεσι τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔχοντες (ὡς δὴ λέγεται γε ὑπὸ Λιβύων.) *Et Cynocephali & qui in pectoribus oculos habent (quemadmodum Libyes scilicet memorant.)*

Neque de istis monstris enarratio Plinio potest iure exprobrari, qui, quod passim confitetur, ex Herodoto istam hausit.

(4.) Plin. L. 10. c. 49. *Pegasos equino capite volucres & gryphas aurita aduncitate rostri fabulosos reor. — Equidem & Tragopona, de qua plures affirmant, maiorem aquila, cornua in temporibus curvata habentem, ferruginei coloris, tantum capite phoeniceo. Neque Sirenes impetraverint fidem: licet affirmet Dino, — in India esse: mulcerique earum cantu, quos gravatos somno lacerent. Qui credit ista & Melampoti profecto aurem lambendo, dedisse intellectum avium sermonis draconis non abnuet, vel quae Democritus tradit. — quaeque de vna ave galerita privatim commemorat, etiam sine his immensa vitae ambage circa auguria. Nominantur ab Homero scopes, avium genus: neque harum satyricos motus, cum insidentur, plerisque memoratos, facile conceperim mente: neque ipsae iam aves noscuntur. Quamobrem de confessis disseruisse praestiterit.*

De phoenice Herod. Euterpe L. 2. pag. 131. ἔστι δὲ καὶ ἄλλος ὄρνις ἱρὸς, τῷ ὄνομα Φοῖνιξ. ἐγὼ μὲν μιν οὐκ εἶδον, εἰ μὴ ὅσον γραφῇ.

modi, quae etiam nunc irridentur ac repetuntur ioci caussa ab his, qui omnem prorsus historiam naturalem veterum negligendam esse demonstratum eunt. Verum non sine magna voluptate mea cognovi, veteres ista nequaquam credidisse ipsos, sed retulisse tantum e mente vulgi, non aliter ac si quis hodie (& fit etiam nunc) vulgi fabulas, quae in omni saeculo multae sunt ac ridiculae, quando ita fert occasio, enarret. Iniustum est igitur sine controversia ista monstra referre ad numerum animantium, quae descripserunt in Zoologia veteres; iniustum est, inquam, ista ridentes vocare monstra Herodoti, aut Aristotelis aut Plinii; cum non horum virorum, sed vulgi fuerint, aetate eorum. (5) Quis est enim quin

 sciat,

Φῆ. καὶ γὰρ δὴ καὶ σπάνιος ἐπιφοιτᾷ σφι δι᾽ ἐτέων (ὡς Ηλιουπολῖται λέγουσι.) πεντακοσίων. *Est & alia volucris, nomine phoenix, quam equidem nunquam vidi nisi in pictura. Etenim perrara ad eos commeat, quingentesimo quoque (vt aiunt Heliopolitani) anno.*

(5) Caussam Herodoti hac in re suscepit iam Joachimus Camerarius in *procemio in Herodoti historias* editioni Stephani de an. 1592. praefixo; Plinii vero caussam cl. Denso in praefat. interpret. German. quibus subiiciam verba Harduini, qui Plinium haud dubie omnium optime novit & cui in rebus istiusmodi dubiis maior forte erit apud nonnullos auctoritas ob scepticismum. (non propterea apud me, qui scepticismo vere laborasse virum

sciat, Graecos familiari suo atticismo *Φασὶ*, Latinos phrasi illa: *tradunt*, *referunt*, *dicunt*, *volunt*, caet. negare, se eius rei, quam narrant velle sponsores fieri? Quin etiam saepe numero, quae ipsi falsissima esse crediderunt, eam ob caussam addiderunt, quod nihil, quod noverint ea de re, de qua agunt, voluerunt praeterire; (6.) saepius etiam vt risu ista potuerint

virum non credam.) Ita vero ille: *Quod multa Plinium attulisse in medium criminantur aliqui, quae falsa sint, quae commenta sapiant, magorumque vanitates, nihil id vtique habet iustae reprehensionis. Nam quo eum argumento arguas mendacii, qui nihil comminiscatur, nihil asserat, quod haberi pro certo ac confesso velit, quin sit illud idem ab aliis scriptoribus, extra omnem mendacii suspicionem positis, — proditum similiter? qui dubiis se suis reddere profiteatur auctoribus, quorum ad fidem provocat, ac legentes ablegat? qui denique magorum commenta eo recitat, quod prae se fert ipse haud obscure passim, vt eorundem obiter coarguat vanitatem: quae sub Nerone principe, quod is hanc exercuerat artem, videri poterat in ipsa vrbe auctoritatem accepisse?* Hactenus Harduinus. Minor est etiam Plinii culpa, si index historiae praefixus ab ipso contextus est; qui quibusnam in quoque libro vsus sit auctoribus tum Romanis, tum externis diligenter indicat. Plinii eum esse negat Harduinus, (propterea quod parum diligenter contextus videtur.) affirmat Fabricius Bibl. Lat. 1. p 402. cuius equidem sententiae accedo.

(6.) Plin. L. 2. c. 53. Hard. 1. p. 101. *Quamobrem, sint ista, vt rerum naturae libuit, aliis certa, aliis dubia,*

rint refellere; (7.) quod etiam nunc fit interdum a viris gravissimis, qui non ignorant, fabulas saepe ridendo posse facillime exstirpari. Nihilo minus eo iniustitiae processerunt nonnulli, vt adeo haec etiam exprobrarint veteribus;

dubia, aliis probata, aliis damnanda: nos cetera, quae sunt in his memorabilia, non omittemus.

Id. L. 3. c 98. *His addit (vt nihil, quod equidem noverim praeteream) Aristoteles nullum animal, nisi aestu recedente exspirare. Observatum id multum in Gallico Oceano & duntaxat in homine repertum.*

(Falsam hanc esse Aristotelis sententiam, etsi adhuc supersit in locis Galliae maritimis, probavit medicorum observationibus Des Landes in Recueil de differens Traites de Physique Hamb. Magazin T. 18. p. 789. quod hic annotasse non erit iniucundum his, qui mecum veterum narrationes cum hodiernorum conferre student.)

(7.) Plin. L. 8. c. 22. *Homines in lupos verti, rursumque restitui sibi, falsum esse confidenter existimare debemus, aut credere omnia, quae fabulosa tot saeculis comperimus. — Mirum est, quo procedat Graeca credulitas! Nullum tam impudens mendacium est, vt teste careat.* Lib. 28. c. 8. *Iungamus illis simillima & peregrina aeque animalia: priusque Chamaeleonem, peculiari volumine dignum existimatum Democrito, ac per singula membra desecratum, non sine magna voluptate nostra, cognitis proditisque mendaciis Graecae vanitatis. — Reliqua ad veneficia pertinentia, quae dicit, quamquam falsa existimantes, omittemus, praeterquam vbi irrisu coarguendum.* —

bus; (8.) quin etiam complures, quando ipsi fabulas venditant lectoribus aut eas coarguunt, sese istas ex Plinii v. gr. historia naturali referre falso asseverant, etsi vel maxime ne verbulum qui-

(8.) Quis est, qui lectis modo laudatis Plinii de Chamaeleone ex Democrito verbis, haec possit Gellii aequo animo ferre? *Librum esse Democriti, nobilissimi philosophorum, de vi & natura Chamaeleonis, eumque se legisse Plinius Secundus in naturalis historiae vicesimo octavo refert, multaque vana atque intolerabilia auribus deinde quasi a Democrito scripta tradit.* Gellius L. 10. c. 12. Constat inter omnes Albertum Magnum pleraque & tantum non omnia e Plinio hausisse, in quem nihilo minus quam fuerit ingratus video. Plinius libro vndecimo: *& inter aves, ardeolarum genere, quos leucos vocant, altero oculo carere tradunt.* Haec Plinius, at Albertus M. quam festivo lepidoque dicendi genere Nostrum hoc loco carpat, audi. Ita enim, L. 23. de animal. p. 614. *Quartum*, inquit, *ardearum genus apponit Plinius monoculum, quod vnum oculum dicit habere in latere vno tantum; & ideo facilius capi a venatore in latere coeco insidias ponente. Sed videtur praeter naturam esse & falsum, quod dicit: sicut enim alae duae, & duo pedes crescunt a lateribus, ita duo oculi: nec ratio permittit ab vno latere formari oculum vnum; & non ab alio alium. Plinius enim iste multa dicit falsissima; & ideo in talibus non sunt curanda dicta ipsius. Sane*, addit Harduinus, *si fabulas huiusmodi nobis occineret, si se sponsorem talium faceret, si tot mendacio congereret. Sed plus vidit Albertus, quam Plinius scripsit: quartum id esse ardearum genus,*

quidem ea de re auctori dictum sit. (9.) Alii, atque hi etiam sunt multi, tot & tantos in naturali veterum historia invenisse errores sibi ipsi videntur, vt possint probare, veteres nihil praeter fabulas spectasse easque eo consilio collegisse, ornasse, vt multitudinem earum narratione

genus, idque quia monoculum est, patere facilius insidiis venatorum, nec sua Plinius retulit, nec aliena fide. Ne quis putet, me operam perdere, qui contra Albertum M. quem hodie vel tirones contemnunt disputem. Compertum habeo, multos etiam recentiores Plinium eadem iniuria lacessere, quibus vt rubor offundatur, addidi Alberti M. exemplum.

(9.) Eo impudentiae processit Servius in annotationibus ad Virg. Aen. L. 3. v. 113. vbi ita: *Mater Deum praecepit ne secum vnquam leones coirent. Nam & Plinius in naturali historia dicit leonem cum parda & pardum cum leaena concumbere.* Qui vel semel Plinium legit, ne suspicari quidem potest, hoc ab eo proditum esse, nec est revera proditum. Aliud iniuriae exemplum praebet Hieronymus, qui in annotat. ad Jerem. non Plinii solum, sed quoque Aristotelis, sed Theophrasti abutitur auctoritate: *aiunt scriptores naturalis historiae, tam bestiarum & volucrum, quam arborum herbarumque, quorum principes sunt apud Graecos Aristoteles & Theophrastus, apud nos Plinius secundus hanc perdicis esse naturam, vt ova alterius perdicis i. e. aliena furetur & eis incubet foveatque cumque foetus adoleverit, avolare ab eo & alienum parentem relinquere.* Hac de re ne verbulum quidem apud Plinium.

tione delectarent. (10.) At quis tandem est, qui vel suspicari queat, Aristotelem philosophum gravissimum, Theophrastum eiusdem discipulum optimum, Plinium inter aequales longe eruditissimum, hos, inquam, viros, qui & argumentis & irrisione superstitionem & quae ad eam dirigunt, fabulas aniles exstirpare studuerunt, hos, inquam, qui vtilitatem iuvandi se ipsi praetulisse placendi gratiae palam confitentur; (11.) qui ipsi videre voluerunt, quanta sit etiam in bestiolis ratio providentiae; qui Deum

(10.) Bochartus Hierozoic. L. 1. c. 12. T. 2. p. 86. illam referens Hieronymi fabulam, eamque commentitiam esse demonstrans non Hieronymum, sed laudatos naturae historicos reprehendit, eosque insigni contumelia afficit. *Pii viri*, inquit patres cogitans, *qui cum illo* (sc. Hieronymo) *hoc commentum in litteras retulerunt, plus fidei quam par fuit,* τοῖς τερατολόγοις *habuerunt, quibus id propositum fuit, vt populum detinerent per haec portenta narrationum. Nam vt recte Synesius in Calvitii encomio:* τό δε ῥᾷστον καταγελάσεται ὁ δῆμος. δεῖ γὰρ τερατείαι, i. e. *quod facile est ridet plebs; eget enim narratione prodigiosa* —' Recte quidem Synesius, at male Bochartus eius auctoritate abutitur.

(11.) Plinius in dedicatione: *Equidem ita sentio, peculiarem in studiis caussam eorum esse, qui difficultatibus victis, vtilitatem iuvandi, praetulerunt gratiae placendi; idque iam & in aliis operibus ipse feci* —

Deum ex operibus eius agnoverunt, (12.) hos vulgum fabularum collectione voluisse delectare? Nonnullae quoque fabulae relatae a Plinio aut alio e vulgi narratione, non solum ab recentioribus auctoritate Plinii repetitae & irrisae, sed etiam auctae sunt novis & aeque commentitiis accessionibus; ita, vt diligens Plinii lector vix talem iniuriam aequo animo ferat. Etiam hanc rem declarabo exemplo. Quem murem Plinius Alpinum vocat, eum murem esse marmotam Lin. 26, 4. omnes viri docti *ὁμολογουσι*, eum, inquam, murem, quem qui ad nos spectaculi caussa ferunt, appellant Murmelthier & Galli *Rats des Alpes* conservantes nomen Plinianum, quippe quod optime convenit, cum in Alpibus & Helveticis & Tridentinis degat. De hoc mure narrare quosdam refert Plinius, alternos marem ac feminam, supra se complexo fasce herbae, supinos, cauda mordicus apprehensa, invicem detrahi ad specum. (13.) Vides nec Plinium rem testatam credidisse, cur enim addidit: *quidam narrant?* Nihilo secius & Agricola & Spon & Polignac eandem rem tanquam certam, de qua nemo queat dubitare retulerunt; immo dum vene-

(12.) Respondent quidem haec verbis divi Pauli epist. ad Romanos c. 1. v. 20. sed sunt Ciceronis Tuscul. quaest. L. 1.

(13.) Plin. L. 8. c. 37. recte refert mures istos ad animalia quae *bieme conduntur*, seu quae, vti loquitur ill. Linnaeus, *alto somno bibernant*.

venerat ad hunc virum, iam eundo creverat fabula. Nam in Antilucretio (14.) enarrat, saepe hosce mures bella inter se gerere propter pabulum vel specum, atque captivis imponi a victoribus fasces herbae eosque ita, cauda pro temone mordicus apprehensa, detrahi a victoribus in specum. (15.) Jam quis est ita impudens, vt fabulam hanc Plinii dicat?

§. 2.

Sunt quaedam res relatae a veteribus, quas, etsi verae sint, tamen recentiores falsas putarunt. Recte quidem hi de omnibus dubitarunt, quae ipsi experti non erant. Nulla enim alia ratione poterat naturalis historia fabulis, quibus

(14.) Antiluc. L. 6. v. 185.

(15.) Nostra quidem aetate inter omnes constat falsam esse, de qua agimus, narrationem. Nam mures isti non magis, quam formicae pabula colligunt in hiemem. Colligunt quidem foenum, sed ideo, vt lectum sibi praeparent. Neque cauda pro temone vti possunt, cum sit perbrevis. Jactant quidem defluvium pilorum in dorso tanquam rei argumentum, sed vera eius ratio est, ingens pinguedinis in dorso copia. Hanc caussam esse censet doctissimus Klein in hist. nat. Marmotae addita prodromo avium p. 230. itemque eiusdem Quadrupedum dispositioni in nostram linguam translatae p. 135. Atque pinguedinem raritatis pilorum in animalibus caussam agnovitiam Servius ad Virg. 3. Georg. v. 384. *Omne*, inquit, *pingue animal caret pilis, quod hirsutum efficit macies.*

bus vehementer erat inquinata, purgari. Sed cum fabularum numerus, quae veteribus exprobrantur, ita non potuerit non immerito augeri, referamus etiam huius rei exempla quaedam, quo libentius veteribus recentior aetas ſatisfaciat. Qui veteres Rhinocerotis mentionem iniecerunt, vnum tantum cornu belluam habere plerique narrant; (1.) ſed ſunt etiam, qui duo ei eſſe affirmant, inprimis Martialis (2.) & Pauſanias, quo etiam pertinet nummus Domitiani. Sed philologi propterea quod plurimi veteres vnicornem faciunt atque non ignorantes, quam belluam aetas recentior vidit in Europa, eam vnum tantum habuiſſe cornu, falſum dictitarunt & Martialis & Pauſaniae teſtimonium, viri ſummi ingenii Bochartus, Harduinus, Politianus. (3.) Quin etiam Bocharti in-

(1.) Plin. L. 8. c. 20. Strabo αὐτόπτης L. 16. Oppianus L. 2. Cyneget. nummi Domitiani. caet.

(2.) Martial. Spectac. epigr. 22.

Namque gravem gemino cornu ſic extulit vrſum
Jactat impoſitas taurus in Aſtra pilas.

Pauſan. in Eliac. & Boeot. τὸ ἐπ' ἄκρᾳ τῇ ῥινὶ κέρας, καὶ ἄλλο ὑπὲρ αὐτὸ οὐ μέγας. *Vnum in extremo noſa, aliud ſupra illud non magnum.* Immo nummus eſt Domitiani, in quo duo habet cornua, quem deſcripſit Bayerus in Philoſ. Tranſ. N. 492. T. 2. f. 5.

(3.) Bochartus Hieroz. L. 3. c 16. p. 931. ita: *Fruſtra etiam id obſervatur, Rhinocerotem geminum ha-*

inſcientia vim & manus intulit Martiali. Nam cum poetae verſus corruptos exiſtimaret, voluit eos emendare, ſed cum non videret ſatis, quomodo poſſent reſtitui (adeo erat firma veritas!) ſatis habebat, viris doctis complures propinare coniecturas, quas referre longum eſt. Mirum vero videtur, quod Pauſaniae locum intactum reliquit; ſcilicet is, cum rem verboſius & diligentius exponat, non ita facile poterat mutari, quam Martialis, qui vnico tantum verbo rem indicat. Sed non ſoli philologi, verum etiam phyſici duo cornua neglectis illis veterum locis, negarunt Rhinoceroti; vti Scheuchzerus, Peyerus. (4.) Conſultius fuiſſet nec affirmare nec negare. Hodie enim auctoritatibus gra-

habere cornu. Alterum enim eſt in dorſo, quo vrſum extuliſſe dici non poteſt Itaque ad illud cornu non pertinent haec poetae:

— — gemino cornu ſic extulit urſum.

at quodnam cornu? ad illud in dorſo? At nullum omnino in dorſo habet. Nimirum in errorem induxit virum pictura Alberti Dureri, parum accurata, etſi pictoris inſignis. Harduinus in not. & emendat. ad Plin. L. 8. n. 57: *Grammaticorum nunc tricas ac lites expedire mihi nec otium, nec animus eſt, ſuper Martialis epigr. — cum id corruptum eſſe vel ex ipſo Martiali conſtet, qui vnicum alibi agnoſcit.* Prodiit pictura Dureri vna cum meliori ex Albino ex Officina Homanniana 1747. vnde cum facile quisque eam accipere poſſit, hoc monere hic volui.

(4.) Scheuchzerus in phyſ. Jobi. Peyer. merycol.

grauiſſimorum virorum ſatis probatum eſt, eſſe Rhinocerotes etiam bicornes, qui cornu alterum non in fronte, non in dorſo, ſed etiam in nare habent. (5.) Exploſa eſt noſtro aevo doctrina veterum de Sympathia & antipathia ſiue repugnantia rerum ac naturarum, atque relata cum reliquis *occultis*, quas vocabant, *qualitatibus* inter inania vocabula. Neque hoc temere, cum veteres ſibi viderentur hiſce verbis phaenomenorum rationem ipſam ſatis indicare. Verum tamen male complures phyſici hodierni rem omnem, quam veteres vel ad odia vel amicitias rerum (ita enim loquitur fere Plinius) referebant, tanquam omnino falſam & ridiculam neglexerunt; & hac ratione fabularum copiam in libris Graecorum ac Latinorum ipſi iniuſte auxere. Crabrones vel veſpae, quae Ichneumones vocantur, perimunt vnum genus ex

I 2 ara-

(5.) Sloan. Philoſ. tranſ. N. 493. p. 118. Schroekius Ephem. Nat. curioſ. dec. 2. A. V. obſ. 245. p. 468. Olaus Jacobaeus muſ. Dan. p. 4. t. 3. f. 4. Kolbe algemeine Reiſen Th. 2. p 191. quorum virorum ob teſtimonia recepit bicornem in numerum animalium Linnaeus Syſt. nat. 22, 2. Nos ipſi ſaepe vidimus iſta cornua in collectione rerum naturalium numeroſiſſima ac praeſtantiſſima, quam poſſidet Academ. ſcient. imper. quae Petropoli floret. Habuit etiam iſta cornua Kleinius, qui elegantem & accuratam eorum picturam addidit ſuae Quadrup. diſpoſitioni Lipſiae 1751. pag. 31. tab. 2. Verum tamen hiſtoria Rhinocerotis bicornis nondum ſatis expoſita eſt.

araneis phalangium appellatum, & in nidos suos ferunt, deinde illinunt & ex iis incubando suum genus procreant. Ita Aristoteles & Plinius, vbi oua animalium exponunt. (6.) Eandem quidem

(6.) Aristot. hist. an. L. 5. c. 20. (aliis c. 18) οἱ δὲ σφῆκες οἱ ἰχνεύμονες καλούμενοι — τὰ φαλάγγια ἀποκτείναντες, φέρουσι πρὸς τεῖχεου, ἤ τι τοιοῦ τον τρῶγλην, ἔχον. Καὶ πηλῷ καταχρίσαντες, ἐντίκτουσιν ἐν ταῦθα. Καὶ γίνονται ἐξ αὐτῶν οἱ σφῆκες οἱ ἰχνεύμονες. *Crabrones vel vespae, ichneumones nuncupatae a se interfecta phalangia ferunt ad parietinas, aut alio vbi foramen sit: lutoque oblito ibi pariunt & ex iis suum genus procreant.* Iterum tangit eandem rem L. 9. c. 1. (aliis c. 2.) Etiam bis Plinius L. 10. c. 74. & L. 11. c. 21, quibus quidem verbis ipsi modo vsi sumus; quaeque translata a cl. Denso in nostram linguam subiiciamus: Die sogenanten Schlufwespen bringen die dickbeinige Spinnen um und tragen sie in ihr Nest, hernach bestreichen und bebrüten sie solche, pflanzen aus denselben ihr eignes Geschlecht fort. Reddiderim hernach schmieren sie ihr Nest zu. Nam *illino* est καταχρίζω, vt Lexicon Stephani docet, quo verbo ipso vsus est Aristoteles, ita vt hoc loco *Illino* sit, quod alias *Oblino* zuschmieren. Nec recte reddidit cl. Denso *Ichneumones* Schlufwespen. Hoc enim alii insecto impositum est, quod Linnaeo Syst. nat. 214. vocatur *Tenthreda*, cuius quidem larvae plantarum folia exedunt. Plinii Ichneumon sine dubio est Linnaei Sphex Syst. nat. 216. quem celebr. Sulzerus in elegantis-

dem rem, quae admirabile providentiae divinae documentum praebet, referunt etiam Naturae historici hodierni in historia *Sphegis fabulosi*, sed tanquam a se demum observatam; videlicet omnia falsa dictitantes quae veteres de odiis animalium memoriae prodiderunt. Vt autem videas, quam vera illa sint Aristotelis & Plinii, referamus rem verbis ill. Linnaei. Sphex ille, qui viro illustri fabulosus dictus est, canis instar pedibus anterioribus cuniculum in terra fodit larvamque phalaenae vel araneam semi mortuam in eo sepelit, cui ovulum concredit, quo facto orificium terra claudit.

Neque non verum est, diffidere noctuas & caeteras minores aves, vel vt loquitur Linnaeus, *noctuam praed ri noctu aviculis*; (7.)

 item-

tissimo libro, quo insectorum characteres exposuit, vocavit Afterraupentödter, quod nomen etiam ab aliis receptum est. Ibidem etiam Spex fabulosus, de quo hic agitur, pulcerrime delineatus est. Denique cum Graeci dicunt ὁ σφήξ, videmus masculini generis esse nomen, non feminini, quare falsus vulgaris loquendi modus. Ichneumon species est τῦ σφηκος, cum in Linnaei dispositione genus sit peculiare; id quod philologis, non physicis dicam. Σφηκες sunt Plinio Crabrones, & ἀνθρῆναι vespae, sed semel etiam σφηκες dixit vespas.

(7.) Plin. L. 10. c. 74. Aristot. L. 9. c. 1. p. m. 411. Nota est res aviculas interdiu noctuam circumvo-

itemque angues & ſues. Saepe enim ex ruſticis audivi, devorari ſerpentes a porcis; quod etiam veriſimile videbitur ei, qui ſuis in Crotalos (Klapperſchlangen) imperium cogitat, etſi hi, cum in America modo ſint, veteribus ignoti fuerint. (8.) Perhorrere elephantum murem refert Plinius, tranſcripſit Solinus, retulerunt & alii.

volare & vellicare, quod loco laudato eleganter deſcribit Ariſtoteles τῆς δὲ ἡμέρας καὶ τὰ ἄλλα ὀρνίθια τὴν γλαῦκα περιπέτεται. ὃ καλεῖται θαυμάζειν. Καὶ προσπετόμενα τίλλουσι. *Die caeterae aviculae omnes noctuam circumvolant; quod mirari vocatur: advolantesque percutiunt.* Adieci locum propterea, quod ſignificatum hunc verbi θαυμάζειν dignum cenſeo, qui Lexicis inſeratur. Linnaeus ita; *die noctuae aviculis opprobrio expoſitae ſunt.* Graeci vero: *noctuam die aviculae mirantur.*

(8.) Plin. & Ariſt. l. c. ὄφις δὲ γαλῇ καὶ ὑῒ πολέμιος — ἡ δὲ ὗς ἐσθίει τοὺς ὄφεις *Serpens muſtelae ſuisque adverſarius eſt — ſuis, quia ab eo devoratur.* De Crotalis quidem vid. Kalm. in act. Stokholm. 1752. & 1753. So bald die Klapperſchlange ein Schwein ſieht, entfält ihr aller Muth und flieht. Die Schweine ſpühren ſie auf, wenn ſie ſie zu ſehn bekommen, ſtrauben ſie die Borſten, fahren zu, hauen ſie und ſchütteln ſie im Rachen hin und her, und freſſen ſie ohne einigen Schaden auf. Die Amerikaner können daher durch Schweine, Gegenden von ſolchen Schlangen reinigen. Hoc idem illud eſt, quod veteres bellum dixerunt animalium.

alii. Nec falso. Ipse e Persis, qui elephantorum hic curam agunt hac de re quaesivi, qui omnes affirmarunt, & Linnaeus ipse idem testatur; caussam etiam docens sub somno ob trachaee insertionem; quare non est quod dubitent nonnulli. (9.)

Quaedam etiam veterum narrationes, postquam iam a Viris doctis, tanquam falsae & minus verisimiles reiectae sunt, nostra demum memoria aliis non adeo a vero abhorrere videntur; etsi nondum satis confirmatae sint. De Pisce, qui Graecis Echeneis, Latinis vero Remora appellatur narrant veteres, eo adhaerente carinis, navem ventis plenam stare, vel certe tardius ire (10). Recentiores fabulam hanc com-

(9.) Plin. L. 9. c. 10. *animalium maxime odere murem & si pabulum in praesepio positum attingi ab eo videre, fastidiunt.* Solin. c. 25. Lin. Syst. nat. Ergo nec a vero abhorrere videtur, quod Plinius eodem loco: *Cruciatum in potu maximum sentiunt haustu hirudine, quam sanguisugam vulgo coepisse appellari adverto. Haec vbi in ipso animae canali* (trachea) *se fixit, intolerando afficit dolore.*

(10.) Aristot. hist. an L. 2. c. 14. Plin. L. 9. c. 2. 5. Aelian. L. 1. hist. an. c. 36. & L. 2. c. 17. Linnaeus nomen pisci servavit Systema Nat. 133, 1 Falso Harduinus Lampretam esse putat. Vocatur Kleinio Stopffisch, aliis Saugefisch, aliis Fischheber, & cl. Denso Schifhalter. In India hic piscis e filo in mare demittitur, vt capitis clypeo ad-

mentitiam putarunt, & in piscium Historia ne attigerunt quidem. Nihilomnius nuper demum exstitit vir in naturali historia bene versatus, (11.) qui istam historiam a vero non adeo abhorrere demonstratum iuit.

Formicas frumenta condere referunt veteres ad unum omnes, sed negant recentiores, qui earum historiam diligenter tractarunt. Nihilominus quibusdam verisimile videtur, esse vere in regionibus calidioribus formicarum genus, in quod prouida ista cura cadat. (12.) Ejusmodi exempla, credo, eo adduxerunt illustrem Michaelem, virum sane acutissimum, vt negotium dederit peregrinatoribus serpentes alatos in Arabia investigandi, quos alii ne investigatione quidem dignos aestimarunt. (13.)

Atque vt aliquando exemplum e Botanica petamus, celebrata est veteribus arbor larix dicta

adhaerens testudinibus eas secum afferat; quod Klein in histor. piscium retulit. Videtur hoc audivisse, nec intellexisse Trebius Niger, qui auctore Plinio memoriae prodidit, hanc esse huius piscis vim, servati in sale, vt aurum, quod deciderit in altissimos puteos, admotus extrahat.

(11.) Auctor libri, cuius tomus septimus nuper prodiit: *Natuurlyke historie of uytvoerige beschryving der dieren, planten en mineralien volgens de Samenstel van Linnaeus.* conf. Göttingische Gel. Anzeige. 1765. St. 8.

(12.) Reimarus von den Trieben der Thiere p. 378.

(13.) Fragen an die Reisenden in Arabien p. 229.

dicta, quae nec ardere, nec carbonem facere, nec aliomodo ignis vi consumi dicitur. Qua de arbore etsi veteres, tanquam de re tunc temporis satis nota loquuntur, tamen viri docti hac certe in re viris alioquin gravissimis, Plinio nimirum & Palladio, & Vitruvio fidem denegarunt. (14.) Nam vt non dicam de Harduino, cuius negantis minor est auctoritas, Dalechamp (15,) arborem esse eiusmodi negans quidem cum nequeat rem totam, quam complures testati sunt, in dubium vocare, phaenomena relata aliis rationibus physicis explicare studet. Nihilominus vir ob physices doctrinam clarus ante aliquot annos palam fecit, se possidere lignum, quod nec ardeat, nec carbonem faciat. (16.) Equidem hac de re nolo disputare, sed satis habebo, si probaverim, esse multas veterum narrationes immerito inter fabulas relatas. Quin etiam cum omni fabulae aliquid veri insit, neque monstra illa, quae ab omnibus ficta fere putantur, & quorum historia nihil potest esse absurdius, vere *entia rationis* dici queunt. Quid magis abhorret a vero, quam fabula de gryphibus, & nihilominus animal sit necesse est, quod propter corporis

(14.) Plin. L. 16. c. 10 Vitruv. L. 2. c. 9. Palladius L. 12. in Novemb. tit. 13.

(15.) Histoire des plantes L. 1. c. 13.

(16.) Le Clerc in Biblioth. choisie T. 12. & Hamburg. Magazin 18. Band. 280. S.

cf. pag. penult.

molem, & insignem vim primam fabulandi occasionem dedit, cuiusque deinde historia subinde novis accessionibus adeo acuta est. Quamobrem probabilis videtur Ludolfi & Kleinii sententia, quibus istae fabulae in vulturem, *Cuntus* vulgo dictum, neque hodie satis notum convenire videntur. (17.) Neque fabula de Harpyiis, etsi absurda & ridicula, tamen non tota ex mendaciis composita est. Videntur enim mihi ista esse, quae animalia hodie *Canes volantes* vulgo, & Linnaeo *Vampyri* vocantur. (18.) Optime enim omnia conveniunt, Harpyias volucres feras fuisse multi iam veteres credidere, & vocantur etiam poetis volucres; sed aliis etiam canes Jovis. (19.) Vampyri vero

(17.) Kleins verbesserte und vollständigere Historie der Vögel. Danzig 1760. in 4. pag. 45. Linnaeus Vultur gryphus Syst. nat. 40, 1. Hallen pag. 194. Es scheint also der Vogel Greif etwas mehr, als ein bloses Fabelthier und etwas weniger, als ein völlig bestimmtes Wesen zu seyn. Valet de eiusmodi monstris quae per tot saecula & ora ad nostra vsque venerunt, quae dicit Palaephatus in praefat. de Incredibil. *ὀυ γὰρ ὄνομα μόνον ἐγένοντο, λόγος δὲ περὶ αυτῶν ὀυδεὶς ὑπῆρξεν. Si solo nomine fuissent, sermo super his existeret nullus.*

(18.) Linnaeo Vespertilio Vampyrus Syst. nat. 4, 1. Klein p. 61. Vespertilio Cynocephalus Ternatanus. Hundskopf. Hallen p. 452. Fliegender Hund. Seba: Canis volans ternatanus orientalis.

(19.) Vossius de origine & progress. Idolol. L. 3. c. 99. refert ex Petro Martyre L. 6. Ocean. decad. III.

vero ope membranae inter femora volant, caputque eorum accedere ad canum similitudinem, annotarunt, qui eorum historiam scripserunt. Vultus Harpyiarum fuit femineus, & Vampyrorum vbera mammis foeminae lactantis quam simillima dicuntur. Manus his furiis fuere aduncae & maxime formidabiles, (20.) & forma pedum Vampyrorum est ea, quae facile metum incutere, & stupentium phantasiam in varios errores inducere possit. Nos adscribamus, quae non poeta, non orator, sed naturae historicus de iis tradidit. Pedes sunt longissimi, praecipue antici, quorum protracti in longum digiti late expansis alis inserviunt, quintus digitus pollicem referens, acuto incurvoque vngue

III esse Vespertiliones, quibus apte satis conveniant, quae de Harpyis fabulati sunt veteres. Palaephatus de Incredib. c. 23. δοκοῦσι δὲ ἔνιοι θηρία καὶ πετεινὰ ταῦτα ἁρπάζοντα ἀπὸ τῆς τραπέζης τοῦ Φινέως τὸ δεῖπνον. *Putant nonnulli, illas feras quasdam volucres esse, quae e mensa Phinei raperent prandium.* Jovis canes, Διὸς κύνας vocavit eas Apollonius. Alia est avis rapax, e vulturum, puto, genere, quae ab eodem verbo Graeco nomen duxit, Harpe, de qua Plin.

(20.) *Tristior haud illis monstrum, nec saevior vlla*
Pestis & ira Deum stygiis sese extulit vndis.
Virginei volucrum vultus, foedissima ventris
Proluvies, vncaeque manus —
Virg. Aen. 3. v. 215.

For-

vngue praeditus. (21.) At vbinam locorum ſunt iſti Vampyri? Nonne tantum in America? (22.) Sunt quoque in Aſia, & praecipue in inſula Ternata dicta. Poetae etiam habitare in inſulis tantum Harpyias volunt, quare Ponti & Terrae filias dicunt. At Harpyiae fuerunt olim in Arcadia & Thracia, vbi hodie earum ne veſtigium quidem. Nimirum Juppiter Phineo Arcadiae & Thraciae regi illas immiſit; is Argonautas, quos in Colchidem ad expeditionem velleris aurei profecturos iter docuerat, rogavit, vt furias regno expellerent; qui, vt gratias referrent, Harpyias ad Plotas vsque inſulas, poſtea Strophades dictas, perſequuti ſunt. (23.) Ergo antiquiſſimo tempore etiam in Arcadia fuere, deinde vero hic vel illic reliquiae modo ſtirpis. Neque eſt, quod mirum hoc videatur cuique. Olim enim ſaepe incolae terrae vexatae ab animalibus nocivis exercitus, iſtas regiones peragrantis opem implorarunt. Ita Balearici adverſus cuniculorum proventum auxilium militare ab Auguſto petierunt; (24.) ita etiam Perſarum rex in itinere in regionem veniens, vbi immenſa ſcorpionum vis

Fortaſſe conveniunt etiam, quae de alvi effuſione omnes habent, & diripiunt etiam dapes, ſed nondum ſatis cognita eſt Vampyrorum hiſtoria.

(21.) Klein e Seba.

(22.) Ita occurrit Voſſius l. c. ſententiae noſtrae.

(23.) Valerius Flaccus Argonaut. L. 4. v. 425. ſeqq.

(24.) Strabo L. 3. Plin. L. 8. c. 55.

vis erat, per triduum ibi commoratus eſt eorum venationem ſuis imperans, praemio iis, qui captorum numero excellerent, propoſito. (25.) Qua ratione fieri potuit, vt animalia, quaecunque ea fuerint omnino in regione aliqua exſtirparentur, quod etiam recentiori tempore factum eſſe, infra exemplis probabimus. Eſt etiam veriſimile, plane non poſſe durare Vampyros in regione ſatis ab incolis culta; qui operam dent, neceſſe eſt, vt animal tollatur e medio, quod dormientium adeo hominum ſanguinem noctu haurit. Verum quid ad nos mythici? Nam vt verum fatear, nec Ariſtoteles, nec Plinius, ni fallor, Harpyias tanti aeſtimarunt, vt earum feciſſent in naturali hiſtoria mentionem.

§. 3.

Jam probaſſe mihi videor, permultas immerito fabulas naturae hiſtoricis antiquis ab recentioribus tribui, multasque etiam res ab illis relatas temere falſas eſſe creditas & quasdam etiam nunc credi. Quis eſt enim, qui omnia quae Graecis Latinisve prodita ſunt iam ſit expertus? Attamen nequaquam nego, complures fabulas naturali veterum hiſtoriae & in primis Zoologiae (nam de hac iam potiſſimum agimus) ineſſe. Neque veteres ipſi hoc non viderunt, quod probant loca ea, vbi falſas vulgi

(25.) Ariſtot. de mirab. auſcultat. p. m. 717.

gi narrationes refellerunt. Et Straton librum ſcripſit de incertis fabuloſisque animalibus, quod vtinam ſupereſſet. (1.) Agamus itaque hoc, vt inveſtigemus, vnde tot & tam variae fabulae ortae ſint, & cum plurimae in animalium peregrinorum, pauciores in indigenarum hiſtoria occurrant, primum de illis, deinde de his diſſeramus.

Quidquid veteres de animalibus peregrinis ſive exoticis audiebant, id debebant fere omne peregrinatoribus. Hi quo maior eſſet & illuſtrior gloria peregrinationis, e longinquo reduces quidquid novum & mirabile viderant, narrabant civibus, ſed ita, vt res ornarent & augerent. Quod etſi nulla probatione indiget, cum eiusdem damnoſae vanitatis exempla hodierna etiam cuique nota ſint, tamen quia nobis propoſitum eſt vbique exempla afferre, comprobabimus etiam hoc. Longe lateque peregrinatus erat Eudoxus; (2.) is inter alia ſibi viſa

(1.) Laertius L. 5.

(2.) ἐγὼ μὲν ὀυ πεπίϛευκα ἐι δὲ ἕτερος ἐυδόξῳ πειθεται, πιϛέυετω ὁ Φησιν Ευδοξος ὑπερβάλλων τὰς Ηρακλείους ϛήλας ἐν λίμναις ἑωρακέναι ὄρνιθας τινας καὶ μέιζους βοῶν καὶ ὅτι μὲν ὀυ πειθει ὁ λέγων, ἤδη εἶπον. ἃ δ' ὀῦν ἤκουσα ὀυκ ἐσίγησα. *Eudoxus ait, cui ego hac in re fidem non habeo, alios non prohibeo, ſe cum Herculis columnas ſuperaſſet, aves quasdam in lacubus vidiſſe, bubus maiores, quod etſi mihi,*

visa referebat, se ad columnas Herculis invenisse aves bubus maiores. Nos quidem hodie, cum vbique fere terrarum viri docti, cumque peregrinationes etsi molestae, tamen multo faciliores quam olim, ideoque crebriores sint, possumus facilius rerum exoticarum accuratam accipere notitiam, quam veteres; immo si tanti videtur, res testimoniis iudicum virorumque gravissimorum comprobari potest, quemadmodum ita firmata est coccorum historia. (3.) In primis vero hic nobis reprehendendi sunt mercatores, qui etsi naturali historiae, quemadmodum iam indicavimus, profuerunt, tamen etiam eidem vehementer obfuerunt. Studebant enim multis & variis commentis, ridiculis saepe ac absurdis gratiam conciliare novis mercibus, quas populo offerebant; non solum eo consilio, vt pretia rerum augerentur, sed quoque vt plures emtores facile reperirent, itemque ne quisquis statim easdem merces posset indagare & afferre. Atque hanc fabularum originem iam agnovit Plinius & probavit exemplis. Cinnamomum & Casias non nisi magnis laboribus & periculis posse colligi mercatores

mihi, vt dixi, non verisimile omittere nolui. Ael. hist. an. L. 7. c. 14.

(3.) conf. durch ächte Urkunden bewiesene natürliche Historie der Cochenille, aus dem Holländischen des H. Melchior von Runscher übersetzt in Mylius Physikalischen Belustigungen. 1. Stück. S. 43. & Ledermüllers Mikroskopische Ergötzungen S. 65.

tores contendebant, his commentis augentes rerum pretia. (4.) Frequens & vile erat corallium in India, ita vt Galli gladios, scuta, galeas adornarent eo, sed cum augures vatesque magnam ei vim esse ad abstergendum oculi maligni fascinum atque ad res magicas dictitabant, tanta erat penuria, vendibili merce, vt perquam raro cerneretur in suo orbe. (5.) Insigne etiam huius rei exemplum est, quod de ture traditum est fabulosum. Arabes cum soli hanc mercem, quam religio & luxuria hominum commendabat & necessariam reddebat, habebant, non solum sedulo naturam arboris celabant, sed etiam curiosis indagatoribus fabulas venditabant, dicentes regionem turiferam montanam esse atque aditu difficillimam, eamque

(4.) Plin. L. 12. c. 19. *Cinnamomum & Casias fabulose narravit antiquitas princepsque Herodotus, avium nidis & privatim phoenicis, in quo situ Liber pater educatus esset ex inviis rupibus arboribusque decuti, carnis quam ipsae inferrent pondere, aut plumbatis sagittis. Item Casiam circa paludes propugnante vnguibus diro vespertilionum genere, aligerisque serpentibus. His commentis augentes rerum pretia.*

(5.) *Aruspices Indorum vatesque inprimis religiosum id gestamen amoliendis periculis arbitrantur. Itaque & decore & religione gaudent. (baccae sc.) Priusquam hoc notesceret, Galli gladios, scuta, galeas adornabant eo. Nunc tanta penuria est, vt perquam raro cernatur in suo orbe.* Plin. L. 32. c. 2.

que habere aerem craſſum & peſtilentem. (6.) Hac ratione arcebant indagatores & mercatores.

Eandem ob cauſſam nempe lucri cauſſa, qui medicinam exercebant, Magi inprimis, multis commentis ſuperſtitioſis dici non poteſt, quam reddiderint hiſtoriam naturalem incertam atque fabuloſam. Huc pertinent omnia, quae Plinius coactus atque invitus (nam taeduit, quod paſſim affirmat, referre, quae magorum inſania excogitaverat.) in ea libri parte, quam ſupra materiam medicam vocavimus, memoriae tradidit. Animadverti iam dudum, res, quarum vſus fuit frequens in Medicina, maxime fabulis obrutas eſſe. Vnam iam cauſſam, cur adeo fabu-

(6.) Arrianus Per. Mar. Er. p. 158. χώρα λιβανωτοφόρος ὀρεινή τε καὶ δύσβατος, ἀέρα παχὺν ἔχουσα καὶ ὁμιχλώδη, κατὰ τῶν δένδρων φερόμενον τὸν λίβανον. *Regio thurifera, montana adituque difficilis, aerem craſſum habens & nubilum, ex arboribus thus producentem.* & paulo poſt: ἐπίνοσοι δὲ δεινῶς οἱ τόποι. καὶ τοῖς μὲν παραπλέουσι λοιμικοὶ, τοῖς δὲ ἐργαζομένοις πάντοτε θανατώδεις. Ἔτι δὲ καὶ διὰ τὴν ἔνδειαν τῆς τροφῆς εὐχερῶς ἀπολλύμενοι. *Loca ſunt mirum in modum inſalubria, vt & illos, qui tantum praetervehuntur, peſte inficiant & operariis: certam mortem afferant. Adde quod multi ob victus penuriam facillime intereunt.* conf. Celſii Hierobot. T. 1. p. 237.

ſabuloſa & manca ſit Hyaenae hiſtoria indicavimus, quod nempe ſero admodum Romam venit, id quod magorum & ipſa aſtutia effeciſſe videtur; iam alteram videmus. Nimirum hyaenam magi (vtimur vero verbis Plinii) ex omnibus animalibus in maxima admiratione poſuerunt, vtpote cui & ipſi magicas artes dederint; vimque qua illiciat ad ſe homines mente alienatos. (7.) Noſtro aevo commutata eſt res, nam qui vel attigit modo hiſtoriam naturalem non ignorat, debere eam maxima ex parte incrementa medicis, quos doctrina ipſa ad hocce ſtudium dirigit. Nec non hi etiam, qui animalia rariora & exotica ſpectaculi cauſſa oppidatim circumferebant in fabulatorum numero habendi ſunt. Ab eius generis hominibus videtur illiſtri Michaeli baſiliſcus formam & vim accepiſſe. (8.) Sine dubio Pſylli, quorum in ſerpentes & animalia venenata poteſtas veteribus valde celebrata eſt; qui ſerpentes mirae magnitudinis & generis cuiusvis evocabant; excantabant; cum iis ludebant; eis infantes ſuos obiiciebant; qui advocabantur, vt venenum ac virus exſugerent; (9.) hi ſine dubio lucri cauſſa

(7.) Plin. L. 28. c. 8. Hard. II. p. 459.

(8.) Michaelis Fragen an die Reiſenden in Arabien p. 227.

(9.) Loca collegit de Pſyllis Bochartus Hieroz. L. 3. c. 6. p. 393. Suetonius in Auguſto c. 17. refert: Auguſtum Cleopatrae admoviſſe Pſyllos, qui venenum ac virus exſugerent.

ſa multa de ſerpentium vi & natura commenti ſunt.

§. 4.

Non raro etiam membra vel artus animalium quorundam prius innoteſcebant, quam animalia ipſa; quemadmodum frequens iam dentium elephanti vſus Homeri tempore fuit, cum bellua ipſa plane incognita erat. Atque tunc fingebant fere hominum ingenia ipſa animal, cui membra iſta tribuebant, quod nullo modo vero ſimile eſſe poterat, quod autem nihilo minus in numero animalium ponebatur. Deinde, quando animal ipſum innoteſcebat, illud fictum multorum iam auctoritate ita erat firmatum, vt vix & ne vix quidem e naturali hiſtoria poſſet eiici. Tiberio imperatori oſſa ingentia (credo dentes fuiſſe) afferebantur, quae Gigantis eſſe dicebantur, quorum ex magnitudine formam totius corporis ſibi finxit geometra Pulcher; (1.) eadem fere ratione, qua e copia luminis magnitudinem & formam hominum planetas reliquos inhabitantium coniecerunt mathematici quidam hodierni. Ita quoque multa accepiſſe Vnicornis ſeu μετωποκέρος videtur. Permulti iam fruſtra hanc feram venati ſunt atque ita multa & varia de ea collegerunt & diſputarunt, vt nec omnia mihi legere libeat. At hoc certe conſtat, multos ve-

 teres

(1.) Phlegon Trallianus c. 13. & 14.

teres dentem illum exſertum praelongum, ſpiralem Monodontis Artedi & Linnaei S. N. 36, 1. cornu monocerotis illius putaſſe, atque inde ipſos reliquam animalis formam effeciſſe; atque cum minus iis veriſimile videretur, tale vllius marini cornu eſſe, quadrupedis propterea credebant. At vnde & quomodo monodontis potuere dentem nanciſci, cum in oceano ſeptemtrionali degat? At ſaepe oſſa belluarum e terris longinquis appelluntur, quemadmodum ſemina herbarum ex America oris Europae. Atque forte polus etiam antarcticus eandem alit belluam. Saeculo praeterito rariores erant iſti dentes, cum hodie eos in omnibus, quas adii, rerum naturalium collectionibus viderim. (2.)

§. 5.

(2.) Pertinent huc quae legi verba in Petri Della Valle itinerario T. 1. p. 2. Der Engliſche Capitain Woodcock, der Grönland zuerſt entdeckt, hat daſelbſt 1611. ein ſolches Horn gefunden. Die Engliſche Compagnie hat es nach Conſtantinopel geſchickt, wo 2000. Pfund Sterlinge dafür gebothen worden. Weil ſie es aber noch beſſer zu verkaufen gedacht, hat ſie es in Stücken ſägen und ſtückweiſe verkaufen laſſen; da ſie aber nur in allen 1200. Pfund Sterl. dafür bekommen. Mirum videtur, quod cl. Hallen monoceroti Stelleri (p. 322. Ziegeneinhorn, Stellersziege) locum dederit, cum ex Gmelini relatione iam in Summario Tom. II. Comment. nov. Acad. Petropol. erraſſe Stellerum demonſtratum ſit.

§. 5.

Quando res noua nec antehac visa primum in conspectum nostrum venit, solet mens nostra in memoriam revocare rem quandam, saepe prorsus alienam, quacum illam comparare conatur, quo facilius cognitis his, quibus conveniunt, iisque, quibus differunt, rei novae sibi ideam adumbrare possit. Quando vero non satis animum ad rerum similitudines intendimus, non possunt inde non oriri errores. Atque hoc ipsum saepe Graecis ac Latinis, in primis simplicibus illis accidit, quando animal novum videre contingebat.

Nescio quam sibi similitudinem inter passerem & struthiocamelum invenisse videbantur Graeci, cum hanc avem, quae magnitudine vitaeque ratione volucribus omnibus praecellit, στρουθὸν vocarunt; adiiciebant modo, vt indicarent, quem passerem dicerent, μέγαν, Λιβυκὸν, Ἀράβικον, Μαυρούσιον, ἄγριον & saepius etiam διαπόντιον, *marinum*, *vltra marinum*, *qui trans mare venit*; quemadmodum & nostrates murem porcellum Lin. 26, 1. vocant Meerschweinchen & olim simias appellarunt Meerkatzen; quod sibi velle epitheton illud vel exinde intelligitur, quod etiam eundem passerem dixerunt χερσαῖον, κατάγαιον, χαμαιπετῆ. Verum quidem est, iam apud Graecos occurrere nomen στρουθοκαμηλος, at non nisi apud recentiores; cum nec Galenus quidem

 hoc

hoc ſine praefatione auſus ſit vti. (1.) Latini eandem nominandi rationem transtulerunt in linguam ſuam, ita vt non raro nomen paſſeris marini legatur. (2.) Eodem etiam modo volunt viri eruditi pantheras dictas eſſe Plauto (3.) mures Africanos, itemque Camelopardales oves feras; quo de nomine haud ſcio, an ſatis probata ſit ſententia; ſiquidem Plinius indicare videtur, hanc beſtiam aſpectu magis, quam feritate conſpicuam ovem eſſe dictam ob morum manſuetudinem; feram vero διακριτικῶς, vt diſtinguatur a noſtrate, cui ſententiae accedit Bochar-

(1.) Galenus L. 3. de alimentis cap. 20. τὸ μὲν τῶν χηνῶν ὄνομα σύννηθές ἐςι καὶ τοῖς παλαιοῖς, τὸ δὲ τῶν ςρουθοκαμήλων ἄηθες. ὀνομάζουσι γὰρ αὐτὰς μεγάλας ςρουθούς. *Anſerum quidem nomen etiam veteribus conſuetum eſt, ſed ſtratocamelorum inſolens. Eos enim appellant magnos paſſeres*, & in Lib. de prob. ſuc. alim. c. 6. ἐν δὲ τοῖς μεγάλοις ςρουθοῖς, ἅς νῦν ὀνομάζουσι ςρουθοκαμήλους. *In magnis paſſeribus, quos nunc ſtruthocamelos nominant.* Plura loca qui cupit, adeat Bochartum L. 2. c. 14. p. 222. qui Strabonem primum hac voce vſum eſſe docet.

(2.) Feſtus docet paſſerem marinum Latinis eſſe ſtruthiocamelum. Pautus Perſ. Act. 2. ſc. 2. v. 17. Auſonius.

(3.) Plautus Poen. act. 5. ſc. 2. v. 51.

— mures Africanos praedicat
In pompam ludis dare ſe velle aedilibus.

Bochartus. (4.) At fortasse recentior demum aetas hanc excogitavit explicationem, non prisca illa. Harduini quidem sententia a Plinii aliena prorsus videtur, quippe qui feram hic esse vult peregrinam, externam, alio veluti orbe natam.

Ipsorum etiam elephantorum immanis moles, quae non immerito summa admiratione primos spectatores afficit, in caussa fuisse videtur, quod Romani belluas istas, primum cum eas videbant, boves appellaverunt, eosque Leucas, vtpote primum in Lucanis visas. (5.) Nec non & Graecis, quamquam rarius βοῦς est dictus elephas. (6.) Quin etiam simplex illa

(4.) Plin. L. 8. c. 19. *Aspectu magis, quam feritate conspicua: quare etiam ovis ferae nomen invenit.* Bochart. L. 3. c. 21. p. 906.

(5.) Plin. L. 8. c. 6. Varro de Lingua Lat. L. 6. *Luca, bos Elephas. Cur ita sit dicta, duobus modis inveni scriptum. Nam & in C. Aelii Commentario a Lucanis Lucas, ab eo, quod nostri quam maximam quadrupedem, quam ipsi haberent, vocarent bovem; & in Lucanis Pyrrhi bello primum vidissent apud hostes elephantos id est, quadrupedes cornutas, (nam quod dentes multi dicunt, sunt cornua.) Lucam bovem appellasse.* conf. Lucretius L. 5. Seneca in Hippol act. 1. Auson. ep. 15.

(6.) Philostorgius L. 3. narrat se vidisse Romae ταυρελέφαντες λεγομένους. ὧν το μὲν γένος τὰ μὲν ἄλλα πάντα βοῦς ἐςι, μέγισθος, τὴν δὲ βύρσαν καὶ τὸ χρῶμα ἐλέφας, καὶ σχεδὸν εἰπεῖν

aetas ad vnum fere omnes beſtias quadrupedes cornutas & maioris molis corporis ad boum referre genus conſuevit. Ita Pauſanias rhinocerotes nominavit Aethiopicos tauros; Caeſar animal illud ſilvae Herciniae, quod ſine dubio e cervorum genere eſt, bovem cervi figura, (7.) atque cervum adeo ipſum Arabes in boum ferorum habent genere ſecundum Bochartum. Quae cum ita ſint, haud eſt, quod miremur, veteres elephantorum arma etiam cornua nominaſſe, quamquam Herodotus iam aliique, & Plinii tempore conſuetudo ipſa dentes, non cornua dixerint. (8.) Neque Agatharçhides recte vidit, videns dentes exſertos, qui in Aethiopia ſues refert cornua habere. (9.) Atque etiam in hodiernis linguis, in noſtraque ipſa eiusdem generis nomina occurrunt non pauca, quae, vti minus idonea, eiicienda cenſent viri docti;

εἰπεῖν καὶ τὸ μέγεθος. *Taurelephantes dictos: quod genus quoad caetera omnia bos maximus eſt: corio vero & colore elephas, ipſaque adeo magnitudine.*

(7.) Caeſar de Bello Gallico L. *6.* c. 17.

(8.) Cornua dixerunt Varro l. c. Juba apud Plin. L. 8. c. 3. Ael. L. 4. c. 31. L. 14. c. 5. Pauſan. in Eliac. Oppian. Venat. L. 2 Philoſtrat. Apollon. vita L. 2. c 6. Dentes nominarunt Herod. Plin. l. c. Ariſtot. L. 2. c. 11. hiſt. an. & de part. L. 3. c. 2. Ovid. metam. L. 8. Claudian. de Laud. Stil. L. 3. aliique.

(9.) Ael. hiſt. an. L. 5. c. 27. Ἀγαθαρχίδης δὲ τὰς ἐν Αἰθιοπίᾳ ὗς κέρατα ἔχειν.

docti; v. gr. Zibetkatze, Meerkatze, Meerschweinchen (mus Porcellus Lin. 26, 1.) Nilpferd, Stachelschwein & alia multa, etiam in Botanica, quibus nomen generis primum inditum est temere ob similitudinem quandam, ad quod revera nullo modo pertinent. Antequam vero ad aliud argumentum transeamus, quaedam de leonibus habeo dicere, quos vrsos Romanis primum vocatos esse volunt nonnulli; ex eo quod Plin. (10.) refert; *annalibus notatum esse, M. Pisone, M. Messala Coss. a. d. XIV. Calendas Octobr. Domitium Ahenobarbum aedilem curulem vrsos Numidicos centum, & totidem venatores Aethiopas in circo dedisse.* Plinius iam ipse falsi aliquid huic relationi inesse suspicatus est; addidit enim: *miror adiectum Numidicos fuisse, cum in Africa vrsum non gigni constet.* Commentatores, qui quod Plinius accuratius evoluere non poterat, exponere volebant, investigabant vrsos Numidicos, quos cum apud veteres non invenirent, vrsos hos fuisse leones asseverarunt, quae est sententia Lipsii, Vossiique, animal alias non visum ad genus, qui non ignorantes saepe numero plane alienum, relatum esse, idem etiam hac in re evenisse putabant. Equidem quae Vossius Lipsiusque de hac re disputarunt ipsi, ea legere nondum mihi contigit, atque cum accurata horum virorum diligentia vix

K 5 mihi

(10.) Plin. L. 8. c. 37.

mihi dissentiendi facultatem relinquat, dicam, modo quod mihi dubitationem attulit. M. Valerius Messala & M. Pupius Calpurnius Piso, quorum & Cicero mentionem fecit (11.) consules fuere anno vrbis conditae DCXCII. (12.) id est anno ante Christum natum LIX, quo quidem tempore non solum Africa satis Romanis nota erat, sed nec leones iisdem ignoti. Namque bis iam antehac viderant magnam leonum vim ipso referente Plinio, qui: *Leonum simul plurium*, inquit, *pugnam Romae princeps* i. e. primus *dedit Q. Scaevola P. filius in curuli aedilitate.* Ille est Q. Mucius Scaevola P. F. qui postea consulatum gessit anno vrbis DCLIX i. e. a. Christum nat. 92. (13.) Neque hi Scaevolae Leones fuere, quos Roma vltimos viderat ante Ahenobarbum. Nam & Sulla centum dederat in praetura, quam gessit an. vrbis DCLXI. seu ante Christum nat. 90, quod supra iam enarravimus. Jam vero quis est, cui sit verisimile, populum, qui ante decennium & quod excurrit, centum viderat & admiratus erat stupescens leones, horum adeo amisisse memoriam, vt quos dabat Ahenobarbus non potuisset agnoscere. Vidit nostra vrbs ante multos annos elephantos, quorum memo-

riam

(11.) Cic. L. 1. ad Attic. & Plin. ipse L. 7. c. 26. & L. 8. c. 26.

(12.) conf. Car. Sigonii comment. in Fast. & trium. Rom. p. m. 279.

(13.) Plin. L. 8. c. 16. conf. Sigonius l. c. p. 24[illegible]

riam vel ad ducentos annos tenebit. Et cum etiam nunc horum reliquiae superfunt, (duo nostra memoria supererant, alter vero modo mortuus iam a Cel. *Protassovio* Prof. Anatomiae Acad. Scient. dissecatur, conservandus in museo) fortasse & Romani aliquot leones memoriae caussa conservarunt, ita vt Ahenobarbi etiam aetate quidam fuerint superstites. Quodsi Romani leones vocassent vrsos, etiam tum, cum diversa esse animalia satis cognovissent, quemadmodum Struthio camelum dixerint passerem, Ausonii adhuc aetate; hoc profecto non potuisset fugere Plinium. Quae igitur est adhibenda medicina Plinii loco? nulla, nam errasse videtur iam is, qui in annalibus illud annotaverat.

§. 6.

Qua ratione olim naturae historici in describendis animantibus vtebantur, cum vbique quod animal describendum cum aliis iam notioribus comune aut simile haberet annotarent, eam multorum fuisse errorum originem, iam indicauimus supra. Neque hoc aliter fieri poterat. Etenim saepe numero lector vel auditor qua in corporis parte illa similitudo versaretur, non recte intelligebat & quod historicus de auribus privatim, hoc ille ad rostrum vel ad totius capitis formam referebat; cuiusque habitum externum historicus leonino comparabat,

bat, eidem alius leonum attribuebat ferocitatem; quaeque similitudo parva erat, ita vt vix historicus eam agnovisset, ea per ora aliorum eundo adeo saepe crescebat, vt alia plane bestia, diversa ab omnibus, quas alit rerum natura, existeret. Nec difficile hoc intellectu est, cum proximo adhuc saeculo eadem calamitate hist nat. afficeretur. Evanuerunt autem & exaruerunt errores fabulaeque, ex quo veterum illa describendi ratione reiecta nova, accuratior ac diligentior est adhibita. Atque ex hoc comparandi modo tota quorundam animalium historia coalita videtur, quare difficillimum sane sit, necesse est, dignoscere, quod cuique tribuendum. Cadit hoc omnino in Hyaenae historiam, cui nonnulla de Thoe, quaedam etiam de Sirene admista videntur e sententia illustris Michaelis (1.) Nec non numerosa hybridarum turba, quae est in veterum Zoologia, inde orta est. Vbi enim similitudinem videbant, ibi mixturam quoque diversorum generum coniiciebant. Atque Romani bestias multas ex Africa nunquam antea in orbe Romano visas accipientes, eas potissimum comparationum ope describebant; quamobrem plerasque illas hybridas putarunt; qua in re Graecos imitati sunt. Quin etiam Aristoteles, vnde tam frequens generum mixtura in Africa, investigavit & rationem sibi invenisse visus est,

quae

(1.) Fragen an die Reisenden in Arab. p. 121.

quae falſa ea quidem, ſed ingenii acumen philoſophi probat. Nam aquarum in Africa inopia (haec eſt enim viri ſententia) congregat ad paucos amnes feras, atque propterea multiformes ibi partus exiſtunt; varie feminis cuiusque generis mares aut vi aut voluntate miſcente. (2.) Aliam excogitavit Plinius ſententiam, putans in Aethiopia, in terra nempe

— *ſub curru nimium propinqui ſolis*

gigni

(2.) Ariſtot. hiſt. an. L. 8. c. 28. (aliis c. 33.) Πολυμορφότατα δὲ τὰ ἐν τῇ Λιβύῃ. Καὶ λέγεται δὲ τὶς παροιμία ὅτι ἀεὶ φέρει τι Λιβύη καινόν. διὰ γὰρ τὴν ἀνομβρίαν μίσγεσθαι δοκεῖ ἀπαντῶντα πρὸς τὰ ὑδάτια καὶ τὰ μὴ ὁμόφυλα καὶ ἐκφέρειν ὧν οἱ χρόνοι τῆς κυήσεως οἱ αὐτοὶ καὶ τὰ μεγέθη μὴ πολὺ ἀπ ἀλλήλων. πρὸς ἄλληλα δὲ πραΰνεται, διὰ τὴν τοῦ ποτοῦ χρείαν. Καὶ γὰρ καὶ δέονται τοῦ πίνειν τοὐναντίον τῶν ἄλλων. *Multiformiores beſtiae in Africa; vnde proverbio quodam dicitur: ſemper aliqnid novi Africam afferre. Facit enim illius ſitus aquarum penuria, vt ferae eodem concurrant bibendi cauſſa: quo quidem loco etiam quae alienigenae ſunt coeunt & generant: quorum tempora eadem ferendi vteri ſint, & magnitudines non multo inter ſe diſcerpent. Redduntur mitiores inter ſe deſiderio fluvii: nam & contra quam caetera, potum quaerunt.* Ita interpretatus eſt Theod Gaza, ſed parum eleganter & recte. Debent, inquit philoſophus, ferae ibi eodem in loco, vna, ſimul, in conſpectu omnium bibere.

gigni animalium hominumque effigies monstriferas, calore caeli Aethiopici atomos varie agitante, seu, vt ipse loquitur: *artifici ad formanda corpora effigiesque caelandas mobilitate ignea.* (3.) Palaephatus quidem plane negat eiusmodi ex imparibus parentibus foetus; cuius sententiae physici hodie fere omnes, postquam multa experti sunt, accedunt; etsi de aliquibus etiam dubitetur. (4.)

§. 7.

Machinatio, sollertia, cura sui & foetus, totaque vitae ratio & opera animalium summa affiiciunt admiratione, quicunque ea cognitu digna censeat. Solemus vero cum mens sit, quae in nobis cogitat & agit, ea omnia quoque ingenio, sapientiae ac prudentiae animantium tribuere, quasi ea omnia scitu ac consilio agant, cum solus sit instinctus (ὁρμὴ) naturalis horum omnium effector. Et quo quis est ingenio praestan-

(3.) Plin. L. 6. c. 30.

(4.) Palaephatus περὶ ἀπίςων c. 2. πρῶτον μέν γὰρ ἀδύνατον ἐρασθῆναι ζῶον ἕτερον ἑτέρου. οὐ γὰρ δυνατὸν κύνα, καὶ πίθηκον, λύκον τε καὶ ὕαιναν ἀλλήλοις συμμιγῆναι, οὔδε βούβαλον ἐλάφῳ ἑτερογενῆ γὰρ εἰσι. *Primum quidem fieri non potest, vt animal diversi generis aliud amet: neque enim possibile canem cum simia, lupum cum hyaena, vel cum cervo bubalum consuescere: quod alterius sunt generis.*

ſtantior, eo maius etiam cani ſuo vel pſittaco ſolet tribuere ingenium, qua ratione nobis omnia videntur illuſtriora in beſtiis, quam revera ſunt. Quam ob cauſſam qui e veteribus imaginationi indulgebant, ii plura annotarunt miracula in vitae ratione beſtiarum, quam ſumma potuit recentiorum videre diligentia. Catervas iſti fabularum errorumque intulerunt Zoologiae, quibus in diſcutiendis ac comprimendis etiam nunc verſatur phyſicorum ſtudium. Immo Pythagoras, Plato aliique philoſophi non dubitarunt beſtiis rationem tribuere, minus quidem conſpicuam eam, quam in hominibus, propter *δυσκρασίαν τῶν σωμάτων* & praeſertim propterea quod careant loquendi facultate. (1.) Attamen ipſi rerum naturae latebras ſcrutantes rarius hac in re peccarunt; ſaepe vero vulgus, cuius ex narratione eos haurire

(1.) Plutarchus de placitis philoſ. L. 5. c. 20. *Πυθαγόρας, Πλάτων, λογικὰς μὲν ἔιναι καὶ τῶν ἀλόγων ζώων καλουμένων τὰς ψυχὰς, ὀυ μὴν λογικῶς ἐνεργόυσας, παρά τὴν δυσκρασίαν τῶν σωμάτων καὶ τὸ μὴ ἔχειν τὸ φραστικὸν, ὥσπερ ἐπί τῶν πιθήκων καὶ τῶν κυνῶν. Λαλοῦσι μὲν γὰρ οὗτοι, ὀυ φράζουσι δὲ.* Sextus Empir. Pyrrhon. Hypotyp. L. 1. c. 14. Sect. 62. ed. Fabric. Nolo plura adſcribere, cum ea collecta & optime explicata quisque poſſit legere apud venerabilem Reimamarum von den Trieben der Thiere p. 190.

rire saepe oportebat, atque saepius etiam poetae & quicunque lectorum delectandorum gratia varias animalium historias contexuerunt. Quem non delectat res publica apum, quam pulcerrime atque summo artificio pinxit ingenium Maronis? At hoc ipsum quantum obfuit veritati, quam philosophus, quam physicus spectant! Satis ornassent poetae poemata sua, si rerum naturam imitati essent, quod vero cum difficile sit, vix vllum cognovi poetam, antequam illustris & immortalis Hallerus (quamquam Broks iam naturam ipsam pingere studuerit, omissis, quae quidam falsa ornamenta ei dedissent.) suo exemplo verum historiae naturalis vsum in poesi probavit & docuit; vix vllum, inquam, ante eum cognovi poetam, quin fabulas de animalibus adpinxisset poemati suo. Aelianus delectare voluit atque etiam prodesse. Collegit exempla ingenii, industriae, temperantiae, iustitiae, fortitudinis, amoris, pietatis, docilitatis animalium, (2.) eo potissimum consilio, vt possit inde mores hominum vitamque redarguere & emendare. Est enim, quod recte sensit Gesnerus in praefatione ad Aeliani de animalibus librum, in eo *temperamentum quoddam & harmonia vtriusque philosophiae moralis nimirum & naturalis.* At etsi nihil quidquam confinxit ipse, quod sancte affirmat; & quamquam complures fabulas dicta-

(2.) Aelianus ipse in praefat. hist. an.

tavit commentitias ipſe; tamen arripuit libens quaecunque exempla ab aliis offerebantur, eaque ingenio ſuo ornavit reddiditque veriſimilia magis; quo haud dubie veritati obfuit. Cuius rei clariſſimum eſt exemplum enarratio Aeliani de caſtore; quod animal amputari ſibi ipſum teſticulos, ob eos ſe peti gnarum tradunt naturae hiſtorici, ſed praeter ea nihil. Jam vero quibus acceſſionibus hanc rem auxit &, ſi Diis placet, ornavit Aelianus! Longa eſt fabula, ſed cum comprobet quam optime ſententiam noſtram, non poſſum mihi temperare, quin eam ſubiiciam. En eam ex interpretatione Gillii vel Corn. Geſneri: *Quod cauſſam ab inſequentibus venatoribus cur tam cupide petatur non ignorat, idcirco mordicus premens vſque incumbit ad elidendos teſtes quoad abs ſe abſciderit, & ſic illos eis obiecerit, tanquam homo ſumma prudentia in latrones incurrens, quaecunque portat ad ſe redimendum exponit. Quodſi poſtea quam exectus & ex periculo ſervatus fuerit, ab inſectantibus iterum vrgeatur, hic ſe erigens, atque quamobrem inſequi vlterius pergere non debeant, cauſſam oſtendens, ad revertendum, quod iam ea parte, quam expetunt careat, venatores inducit. Nam carnes eius non admodum illi curant. Perſaepe etiamnum teſticulis praeditus, cum ſe a venatorum conſpectu longiſſime curſu removerit, eam par-*

tem desideratam ita astute comprimit & occultat; vt insectatores fallat, tanquam iis careat quae occultavit. Hactenus Aelianus. (3.) Cave vero credas hoc in Aelianum modo aut solos veteres convenire; convenit etiam in complures ex iis, qui nostro aevo praecepta morum civibus propinant; eos dico, qui *Moralistae* vulgo vocantur. Quoties ab iis laudata est eleganter admodum provida formicarum cura sanctaque turturum castitas atque eiusdem generis multa; etsi iam dudum physici nullam esse eiusmodi curam formicarum, nullam turturum castitatem demonstraverant. (4.) Noluerunt videlicet argumentum perdere, in quo ingenium suum poterant exercere. Quapropter si nec ipsi fabulas confinxerunt, tamen eas tradiderunt, confirmarunt, ornarunt, auxerunt.

§. 8.

Hac ratione cum veteres animalia sapientiora crediderint, quam sint, (nulla est enim iis sapientia) inter ea nec aemulationem intercedere non credebant. Ob similem laudem credebant equum esse contrarium camelo, camelumque equo, etsi ne vestigium quidem istiusmo-

(3.) Ael. L. 6. c. 34.

(4.) Ael. L. 3. c. 44. conf. Viti Riedlini diss. de turturum dubia castitate in Decur. 3. miscell. Nat. cur. obs. 129. anni V.

modi aemulationis obſervetur. Talia vero referebant ad antipathiam, de qua iam diſputavimus. Ita etiam invidiam cadere in beſtias arbitrati ſunt. Magnam vim medicam cornibus cervinis ineſſe ponebant, &, neſcio quam ob cauſſam, dextrum cornu ſiniſtro praeferebant. Jam vero cum cervi non vno tempore ſimul ambo amittant, ſed ſaepe altero amiſſo alterum paululum retineant, coniiciebant inde eos probe ſcire, cornu dextrum hominibus magno vſui eſſe, eosque invidia tactos hoc in terram occultare. (1.) Pectines ad expoliendas veſtes hodie ſunt ſetacei, olim vero e cute herinaceorum (Schweinigel) erant. Reddunt vero ex ſe herinacei in deſperatione vrinam tabificam, tergori ſuo ſpinisque noxiam; e mente veterum ideo eam reddunt, vt tergus reddant hominibus invtile. (2.) Caſtoreum eſſe teſticulum fibri falſo putarunt, falſo etiam, eum ob hoc ſe peti gnarum teſtes ſibi ipſum amputare. (3.) Orta eſt fabula, quod animal liquorem, cuius vim laudant medici eiicere poteſt, eumque ſaepe ore lambit atque exſugit. Eſt vero error vetuſtiſſimus, cum aegyptii iam, cum

 de-

(1.) Ael. hiſt. an. L. 3. c. 17.

(2.) Plin. L. 8. c. 37. Ael. L. 4. c. 17. Theophraſt. in Fragmento de animalibus quae invident. Vrinam eos in deſperatione reddere veriſimile mihi videtur, cum ſunt & alia, quibus accidit; teſtem vero laudare nequeo.

(3.) Plin. L. 8. c. 30. Solin. c. 23. Juv. 12, 35.

designare volebant hominem, qui sibi ipse damnum infert, castorem pinxerint. (4.) Quin etiam Servius nomen ipsum inde duxisse animal vult. (5.) Verum ne iniuria afficiamus antiquitatem, quam alias defendimus, iam Sextius, quem Plinius (6.) diligentissimum medicinae (neque immerito qui hoc vidit.) vocat, amputari testes ab ipso, cum capiatur, negavit; quin immo parvos esse substrictosque recte docuit; hoc vero perperam: eos spinae adhaerere. Optime rem cognovit Dioscorides, qui anatomicos recentiores habet consentientes. (7.) Venia est danda maioribus, quibus rerum naturae, immo vt rectius dicam, rerum omnium na-

(4.) Horap. Hierogl. L. 2. c. 65.
(5.) Ad Virg. Georg. L. 1. v. 58.
(6.) L. 32. c. 3.
(7.) Dioscor. L. 2. c. 26. Accuratam castoris delineationem & partium quoque internarum descriptionem debemus anatomicis Parisiensibus. *Memoires pour servir à l'histoire naturelle des animaux & des plantes. Par Mess. de l'Acad. royale des sc. à Paris. à la Haye* 1731. 4. Locum testiculorum ita designant: *Les testicules n'etoient pas plus en dedans que les poches:* (Folliculi, in quibus castoreum.) *ils etoient seulement un peu plus haut, aux parties externes & laterales des Os-pubis, à l'endroit des aines, où nous les avons trouvès entierement cachez, en sorte qu'ils ne paroissoient point au dehors non plus que la verge avant que la peau fut levée.* — Klein laudat etiam *Brown essais sur les erreurs popul.* & de hoc libro: Journal des Sav. C. 501.

naturaeque ipsius creatoris sapientissimi benignissima, beneficentissima prouidentia minus erat perspecta, quam nobis. Tantum abest, vt illius iussu animalia, quae generi humano vsui sunt occultent, vt ea potius occultent, quae nobis sunt damnosa. Canis, cuius excrementis vis septica est, quae omnes plantas perimit, atque adeo calceamenta iis inquinata, licet noua & robusta, corrumpit, aluum non vbique deiicit, sed supra stipites, sed supra lapides; vel aliis locis alioquin iam sterilibus. (8)

§. 9.

Constat inter omnes, veteres quando virtutes seu vitia indicare volebant, ea pinxisse animalia, quibus virtutes illas seu vitia illa praecipue ac maxime inesse arbitrabantur. Ita fortitudinis signum erat leo. Quando vero varias virtutes vitiaque varia in vno coniuncta designaturi erant, tunc a variis quoque sumebant animalibus partes seu membra, quae in vnum componebant, vnde monstra existebant ridicula saepe. Postea qui in eiusmodi hieroglyphica incidebat ignarus vnde orta essent, is credebat alere eiusmodi monstra terram quandam incognitam. Haud scio an in eorum numero sint Cynocephali, Acephali, quibus oculi in pectore, quorumve meminit Herodotus; & Mino-

(8.) Linnaei hist. nat. Canis in amoen. acad.

notauri (1.) & quae ſunt plura eiusmodi. Verum cum hoc argumentum potius ad mythologiam faciat explicandam, quam ad hiſtoriam naturalem, miſſum illud faciamus. Sufficit attigiſſe.

§. 10.

Largus etiam fabularum fons fuit ſuperſtitio, ex quo, quae fluxerunt, eae omnes propter ſanctam auctoritatem mentibus hominum quam diutiſſime inhaeſerunt. Primum enim quae beſtiae, quae ſtirpes religioſe colebantur, eas attingere, violare, venari nefas erat; quapropter impune quivis de iſtis poterat mentiri. Hoc modo Arabes nequaquam animalia in terra ſancta, quam putant, venantur. (1.) Ita quoque thuris arborem eiusque cultum putavit Weſſelingius ſtudioſe celaſſe Arabes, cum tanquam numini ſacram venerarentur, certisque tantum ac religioſis familiis inciſionem caudicis committentes, ne conſpectum quidem eius profanis indulgerent. (2.) Qua ſententia etſi iam probabiliorem tradidimus, (§. 3.) tamen digna omnino eſt, quae hic laudetur. Gran-

(1.) Minotauri in nummis Neopolitanorum ſymbola mera ſunt roboris quo in eo tractu ruſticani pollent, & quo vtuntur in aranda cum bubus tellure Harduinus ad Plin. I. p. 549 n. 5.

(1.) Illuſtris Michaelis ad librum de ſacra poeſi Hebraeorum p. 549.

(2.) Joh. Weſſelingius Opobals. Vindic. p. 234.

Grande cancrorum genus in mari rubro piſcari religioſum erat, propterea quod accolae Neptuno illud ſacrum putabant. (3.) Neque hoc antiquitus tantum effecit ſuperſtitio, cum hodie etiam idem fieri apud gentes quasdam litteris minus excultas relatum legamus. Qui hodie mare rubrum accolunt religione quadam Trichechi (Manati vulgo. Lin. Syſt. Nat. 6.) caput amputant illudque tanquam ſacrum quoddam in mare abiiciunt, quam ob cauſſam diu illius hiſtoria ac deſcriptio manca fuit. (4.) Atque Norvagi hodierni quidquid marinum offendunt magnum ac ignotum, illud ſacro quodam horrore abiiciunt ſtatim, vocantes illud *Trollfisk.* Hac ratione cum res iſtiusmodi naturales piſcatoribus ſolis, hominibusque illitteratis innoteſcebant modo, nec vnquam phyſicis; non potuit non fieri, vt iſti de iis tanquam rebus ſacris multa falſa commenti ſint; vtque e contrario Phyſici ignorarent, quae ſit eorum forma,

 quae

(3.) Aelian. hiſt. an. L. 17. c. 1. ἐπιβουλεύεσθαι δὲ ὑπ᾽ οὐδενὸς αὐτούς. τὸ δὲ αἴτιον ἱεροὶ λέγονται Ποσειδῶνος καὶ ἀφιέρωνται τῷ θεῷ τούτῳ ἀναθήματα ὄιναι ἐκείνου. ἀσινῆ τε καὶ ἀνεπιβούλευτα οἱ καρκίνοι. *Tuti erant adverſus omnes inſidias, quod ſacri haberentur Neptuno, nec eis nocere aut inſidiari auderet quisquam.*

(4.) Monconis in itinerario. Pantoppidan in der Vorrede zur natürlichen Hiſtorie von Norwegen.

quae ratio. Nunquam enim in horum conſpectum veniebant eae, nec per religionem eas inveſtigare licebat. Quin immo vera Hermaphroditorum ratio adeo fuit fabuloſa atque tam diu latuit, quoniam in malo omine apud Graecos pariter ac Latinos habiti ſunt, ita quidem, horrendum dictu, vt in mare proiecti ſint (5.)

Deinde cum quae rerum natura eximia ferebat, Diis dicata eſſent & in templa memoriae cauſſa reponerentur, quod iam iam probaturi ſumus, conſervabantur ea quidem, ſed mox tot & tam variae de iis oriebantur fabulae, ut quae eſſent revera ne conſtaret quidem. Exemplo ſunt etiamnum quae memoriae cauſſa in templis & locis publicis verbi gratia Lubecae ſervantur; de quibus tam multa narrantur peregrinatoribus, vt quod verum ſit non poſſint divinare. Nec licebat olim iis, qui volebant res iſtiusmodi ipſas diligenter cognoſcere. Credere fas erat, examinare nefas. Itaque ſuperſtitio, quam probavimus ſupra profuiſſe hiſtoriae naturali, eidem etiam obfuit.

(5.) Livius L. 27. c. 11. conf. Plin. L. 7. c. 3. Inprimis vero huc pertinet diſſertatio illuſtris Halleri de Hermaphroditis Tomo I. commentar. Soc. Goetting.

CAP.

CAP. IV.

DE COLLECTIONIBVS RERVM NATVRALIVM APVD VETERES.

§. 1.

Quidquid veteres in rerum natura magnum, eximium, praeſtans, rarum, admirabile offendebant, illud omne tanquam θεῖον aliquod dicabant Diis ſuis; vti montes altiſſimos, ſilvas denſiſſimas, arbores aliis magnitudine inſigni praeſtantes, animalia inſolita pulcerrimaque & quae ſunt generis eiusdem. (1.) In his enim natura quid poſſit efficere experta videbatur, montem praealtum Hebraei vocarunt montem Dei. Cancros in mari rubro Neptuno ſacros iam commemoravimus. Ramoſa cervorum cornua & dentes aprinos venatores ac ruſtici ſacrabant affigentes ea vel arbori, vel valvis aut parietibus templorum, in primis Dianae; (2.)

vnde

(1.) Res eſt ſatis nota, ſufficit iam vnus de arboribus Plinii locus L. 12. c. 2. Hard. 1. p. 654. *Haec fuere numinum templa, priſcoque ritu ſimplicia rura etiam nunc Deo praecellentem arborem dicant.*

(2.) Wachterus in Gloſſario T. 1. p. 582. Virg. Eclog. 7. v. 29.

Setoſi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramoſa Mycon vivacis cornua cervi.

conf.

vnde etiam Wachterus nomen Geweihe, quasi aliquid Diis dicatum, derivat. Gubernatores ac mercatores itinere confecto tanquam anathemata offerebant diis res pretiosas, quae propriae erant terrae illae peregrinae, quam adierant, haeque suspendebantur aut collocabantur in templis & memoriae caussa & ornamento, vt essent templis. (3.) Hanno Carthaginiensis ille, qui Africam vltra columnas Herculis circumvectus erat, cuius navigationis commentarium in templo Saturni consecravit, penetraverat in Gorgades insulas & redux multa de Gorgonibus, quarum corpora hirta, commemorabat, ponebatque argumenti & miraculi gratia duarum Gorgonum cutes in Junonis templo. (4.) Qua ratione paullatim in templis res naturales & patriae & peregrinae acervabantur, quare veteres nec collectionibus rerum naturalium, quas Musea hodie, Naturalienkabinetter vocare consuevimus, caruisse credo; sed eas habuisse in templis deorum. Neque erat locus quisquam iis ad conservandas res naturales melior. Quid enim diligentius, quid sanctius potest conservari, quam illud, quod in

conf. Ovid. Metamor. L. 12. v. 266. Symmachus L. 5. ep. 68.

(3.) Plaut. Curcul. act. 3. v. 68.

Quia nudius tertius venimus in Cariam
Ex India: ibi nunc statuam volt dare auream
Solidam faciundam factis monumentum suis.

(4.) Plin. L. 6. c. 31.

in templis erat, cuius in muris aves adeo nidulantes ſub tutela numinis putabantur. (5.) Quantum ſcelus viſum ſit ſpoliatio talium collectionum rerum naturalium optime declarat hiſtoria de Maſiniſſa rege. Erat in promontorio inſulae Melitae Junonis templum, quod tanta religione ſemper fuerat, vt non modo Punicis bellis, ſed etiam in praedonum multitudine, qui ibi fere quotannis hiemare ſolebant, ſemper inviolatum ſanctumve fuiſſet. Ad hunc locum claſſe quondam Maſiniſſae regis appulſa, praefectus regius dentes eburneos, incredibili magnitudine e fano tollebat & eos in Africam portabat Maſiniſſaeque donabat. Rex quidem primo delectabatur munere: poſt vbi audiebat, vnde eſſent, ſtatim certos homines in quinqueremi mittebat, qui eos dentes reportarent. Itaque in his inſcriptum litteris Punicis erat: regem Maſiniſſam imprudentem accepiſſe: re cognita, reponendos, reſtituendosque curaſſe. (6.) Nec Cicero maius templorum ſpoliatione poterat Verri exprobrare ſcelus. Nulla erant

(5.) Ariſtodico nidulantes in templi muris aves rapienti vox reddita eſt: *ἀνοσιώτατε ἀνθρώπων τὶ τάδε τολμᾷς ποιεῖν; τοὺς ἱκέτας μοῦ ἐκ τοῦ νηοῦ κεραΐζεις. mortalium peſſime quid audes? meosne etiam ex templo ſupplices rapis?* Herodot. L. 1. p. 73. edit. Stephani. Plinius in dedicat. *multa*, ait, *valde pretioſa ideo videntur, quia ſunt templis dicata.*

(6.) Cicero in Verrem. 4. c. 46.

erant igitur loca ad colligendas conſervandasque res naturales magis idonea, quam templa deorum.

Plurimae vero e regno certo animali, quemadmodum hodie loquimur, conſervatae videntur in templis Herculis & Dianae; credo propterea quod vtrumque numen venatione inclaruit. Tempore Philippi regis taurus ſilveſtris Macedoniam vaſtabat, cuius pellem & cornua, quae mirae magnitudinis erant rex, qui ipſe hunc necaverat, in veſtibulo templi Herculis conſecrabat. Indicae formicae cornua Erythris in aede Herculis fixa erant. (7.) In Dianae templo corium baſiliſci ſervabatur, quod hirundines arcere credebatur, ne intro volarent (8.) Agathocles Siculorum rex capiebat aliquando cervum cum annulo collari, cui inſcriptum legebatur: Diamedes Dianae & conſecrabat illud in Jovis templo, vnde poſtea in Dianae templum transferebatur. (9.) Gorgonum

(7.) Plin. L. 11. c. 31.

(8.) vid. Scalig. exercitat. 146. diff. 3.

(9.) Ariſtoteles περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων p. m. 730. ἐν δὲ τοῖς Πευκετίνοις εἶναι Φασιν Ἀρτέμιδος ἱερον ἐν ᾧ τὴν διωνομασμένην ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις χαλκῆν ἕλικα ἀνακεῖσθαι λέγουσιν ἔχουσαν ἐπίγραμμα Διομήδης Αρτέμιδι. μυθολογεῖται δὲ ἐκεῖνον ἐλάφῳ περὶ τὸν τράχηλον ἑυρισκομένην ἀπὸ Αγαθοκλέους ὕϛερον τᾶυ βασιλέως Σικελιωτων, εἰς

num cutes in Junonis templo & dentes eburneos eximiae magnitudinis modo commemoravimus. Pellis & maxillae immanis illius serpentis, quae in Punicis bellis ad flumen Bagradam a Regulo imperatore ballistis tormentisque, vt oppidum aliquod expugnata erat, quaeque bello ipso terribilior visa erat legionibus Romanis, duravere Romae in templo, vsque ad bellum Numantinum. (10.) Ingentis etiam serpentis pellis, cui tota Homeri Ilias inscripta erat, servabatur Constantinopoli vsque ad tempus imperatoris Basilii. Tunc enim in vrbis incendio combusta est. (11.) Alexandro Macedoni cornua apportabantur asini Scythici, quae sola Arcadiae fluminis Stygis aquam continere poterant. Haec mittebat Delphos, vt Pythio

εἰς τὸ τοῦ Διὸς ἱερὸν ἀνατεθῆναί φασιν. *In Peucetinis Dianae templum est, in quo locatum est celebre illud aereum sertum, inscriptione hac insignitum: Diomedes Dianae. Id fabulantur ab eo collo cervino applicatum accrevisse, itaque deinceps hoc pacto inventum ab Agathocle Siculorum rege in Jovis templo locatum.*

(10.) Plin. L. 8. c. 14. nescio cur non addiderit quo in templo. Julius Obsequens c. 29. non in templo sed *in publico* tradidit. Seneca ep. 82. *Serpentem illam in Africa saevam & Romanis legionibus bello ipso terribiliorem frustra sagittis fundisque petierunt.* Historiam etiam breviter enarrat Flor. L. 2. c. 2. itemque Valer. Max. L. 1. c. 8.

(11.) Georg. Cedrenus. Zonaras.

Pythio dedicarentur. (12.) Ossa belluae, cui Andromeda exposita fuit, quaeque haud dubie cetus fuit, servata erant in oppido Judaeae Joppe, vbi factum hoc esse volunt, sed apportata inde ostendit ea Romae inter reliqua miracula in aedilitate sua M. Scaurus longitudine pedum XL. altitudine costarum Indicos elephantos excedente, spinae crassitudine sesquipedali. (13.) Eodem modo etiam nunc balaenarum

(12.) Aelian. hist. an. L. 10. c. 40. vbi haec cornibus inscripta fuisse proditum est: Σοὶ τὸ δ' Ἀλέξανδρος Μακεδὼν κέρας ἄνθετο Παιὰν κάνθωνος Σκυθικοῦ, κτῆμα τὸ δαιμόνιον, ὃ Στυγὸς ἀχράντου Λουθησιάδος οὐκ ἐδαμάσθη ῥεύματι βαστάζειν δ' ὕδατος ἠνορέην. *Hoc tibi Alexander Macedo mirabile cornu dedicat, o Paean, ex asino Scythico, illaesum quod aquam Stygis est pote claudere solum invictique alias vincere vim laticis.* Ita reddidit Gillius.

(13.) Plin. L. 9. c. 5. Andromedam in oppido Joppe obiectam esse belluae, idem Plin. L. 5. c. 31. & in saxo, quod Joppae vrbi proiacet, Paria dicto, aetate adhuc Plinii vinculorum Andromedae vestigia servabantur Plin. L. 5. c. 13. & Josephus L. 3. de bello Judaico c. 15. Cetum vero fuisse belluam vel e Strabonis verbis L. 16. intelligitur: ἐν ταῦθα δὲ μυθεύουσι τινες τὴν Ανδρόμεδαν ἐκτεθῆναι τῷ κήτει. *ibi fabulantur Andromedam ceto expositam fuisse.* Relandus in Palaestina p. 640. edit. Norimb. fabulam a Jona hinc fugiente natam suspicatur; quod vero mea nihil refert.

rum ossa passim in templis vrbium maritimarum offendimus, v. gr. in pago amoenissimo prope Hagam comitum dicto Schewenigen, & plerumque vulgo multae de istis narrantur fabulae. Pertinent etiam huc ingentia Neadum ossa, quae in Samo aetate adhuc Euphorionis ostendebantur. (14.) Pelopis quoque humerus dignus visus est Graecis, qui in templis asservaretur. Nec fortasse immerito. Nam etsi tota Pelopis historia fabulosa est, tamen verisimile videtur humerum eius praeter naturam esse formatum; praesertim cum eadem scapulae forma familiae postea propria fuerit. (15.) Primum haec scapula erat Pisae, postea in castris Graecorum ad Troiam & denique Elide, vbi per multa saecula ostendi solebat. (16.)

Dein-

(14.) Ael. hist. an. 17, 28. In libro quo vtor, legitur *νηαδες*. Num nomen corruptum sit nescio. Docebunt editiones recentiores, quas adeant, quibus licet. Fortasse Nereides sunt, de quibus Plin. L. 9 c. 5.

(15.) Schol. Pindari ad Ol. 1. v. 38. *διὸ καὶ οἱ ἀπὸ Πέλοπος καταγόμενοι, τοιοῦ τον εἶχον τὸν ὦμον.*

(16.) Non libet totam scapulae historiam hic referre, retulit eam e Pausania Schmidius ad Pindar. p. 75. Plin. L. 28. c. 4. costam fuisse, non scapulam scribit. *Elide solebat ostendi Pelopis costa, quam eburneam affirmabant.* At Pindarus veritati eo propior, quo antiquior Plinio, *ὦμον* dixit. Harduinus quidem non *costam*, sed *scapulam* ibi legi vult.

Deinde quae membra corporis humani digna videbantur, quae aſſervarentur, ea plerumque in conditoriis ſive ſepulcris aſſervabantur & oſtendebantur. In conditorio Salluſtianorum ſervabantur aetate Plinii etiam corpora proceriſſimorum hominum, quos vnquam viderat Roma, Poſionis & Secundillae. (17.) Idem etiam Plinius duos homines in loculis aſſervatos vidit, quippe Manium Maximum & M. Tullium equites Romanos, qui binum cubitorum fuere. (18.) Interdum tamen etiam in templis membra humana condebantur, quemadmodum pollex regis Pyrrhi in dextro pede, cuius tactu lienoſis medebatur. (19.) Denique quae-

vult. At quidni credamus, Plinium memoria eſſe lapſum, cum etiam nunc viri accuratiſſimi labuntur interdum.

(17.) Plin. L. 7. c. 16.

(18.) Plin. ibidem.

(19. Plin. L. 7. c. 2. *Quorundam corpori partes naſcuntur ad aliqua mirabiles; ſicut Pyrrho regi pollex in dextro pede, cuius tactu lienoſis medebatur. Hunc cremari cum reliquo corpore non potuiſſe tradunt, conditumque loculo in templo.* Liceat adſcribere interpretationem cl. Denſo: An einiger Leute Leiber wachſen Theile, die zu einer wunderbaren Würkung aufgelegt ſind. So hatte der König Pyrrhus den groſen Zehn am rechten Fuße: berührte er Milzſüchtige damit, ſo wurden ſie geheilet. Dieſer, wie man ſagt, konte mit dem übrigen Leichname nicht verbrant werden, ward alſo in einer Schachtel im Tempel verwahrt. Videtur qui-

quaedam res naturales rariſſimae etiam inter imperatorum cimelia ſervatae ſunt, modo ſatis probata ſit Bocharti coniectura. Nam Hippocentaurus loco, quem iamiam laudaturi ſumus, dicitur ſervatus *ἐν τοῖς ὁρίοις τοῦ ἀυτοκράτορος*, id quidem eſt *in imperatoris finibus*, quam lectionem, cum ea minus probabilis ſit, ita ille corrigit: *ἐν θησαυροῖς*. Nos quidem hanc rem philologorum committamus iudicio. (20.) Octavius quidem Auguſtus collegerat ſibi revera res naturales, verbi gratia immanium belluarum ferarumque membra praegrandia, quae dicebantur Gigantum oſſa; quibus

quidem nomen Schachtel ſatis convenire cum de pollice tantum, non de toto corpore ſermo, cumque corpus ipſum crematum dicatur. At ſecus omnino videtur, ſi verba Plinii ipſa legantur. Loculi enim plurale tantum ſecundum Grammaticos eſt, nec reddi poteſt Schachtel, cum potius armarium loculatum ſit; quod vel ſexcenta probant loca. Atqui hoc loco, vbi *loculus*, non *loculi*, feretrum, cui mortui includuntur procul dubio intelligendum eſt, quod etiam Gesnero viſum eſt, qui, cum diligenter admodum huius vocis varios ſignificatus rimatus ſit, in theſauro cum Stephani, tum Fabri hunc Plinii locum exempli cauſſa laudavit. Adiuvabit forte Plutarchi locus in Pyrrho laudatus ab Harduino, vbi eadem res narratur, quem quidem evolvere non licet.

(20.) Bochart. Hieroz. L. 6. c. 10. p. m. 835.

bus & aliis rebus vetuſtate & raritate notabilibus praetoria ſua excolebat. (21.)

§. 2.

Hactenus egimus de iis rebus, quae vel ſiccae ſunt ipſae, vel ſiccari certe poſſunt. Jam operae pretium eſt, inveſtigare, quomodo veteres eas, quae ſiccari nequeunt, quaeque nos in Spiritu Vini condimus, ſervaverint. Triplici vero ratione vſi ſunt vel melle, vel cera, vel ſalſura. In Arabiae vrbe Sauna reperiebatur Hippocentaurus, quem rex cum vivum cepiſſet in Aegyptum ad Caeſarem mittebat. Sed cum in itinere propter aeris mutationem interiret, melle conditus Romam mittebatur, vbi omnibus curioſis oſtendebatur & eum Plinius ſeſe vidiſſe memoriae prodidit. (1.) Hominum quo-

(21.) Suetonius 2. c. 72. cuius verbis ipſis vſi ſumus.

(1.) Plin. L. 7. c. 3. *Claudius Caeſar ſcribit Hippocentaurum in Theſſalia natum eodem die interiiſſe. Et nos principatu eius allatum illi ex Aegyto in melle vidimus.* Hic ipſe eſt Hippocentaurus, in quo deſcribendo multus Phlegon Trallianus Lib. de rebus mirabil. c. 34. *εὑρέθη ἐν Σαύνῃ τῆς Αραβίας πόλει ἱπποκένταυρος ἐπὶ ὄρους μάλα ὑψηλοῦ. — τοῦ δὲ ἱπποκένταυρον συλλαβὼν ὁ βασιλεὸς ζωὸν ἀποπέμπει σὺν ἑτέροις δώροις πρὸς Καίσαρα εἰς τὴν Αἴγυπτον. — ὀυ φέρων δὲ τὴν μεταβολὴν τοῦ ἀέρος, τελευτᾷ.*

quoque mortuorum corpora melle perfundebantur, itaque conſervabantur, praeſertim ſi quis peregre obiiſſet, donec domum referri poſſet. Ageſilopis Lacedemoniorum regis corpus, qui in Macedonia febri moriebatur in melle domum portabatur. (2.) Ageſilai etiam

λευτᾷ. καὶ ὄυτως ὁ Ἔπαρχος τῆς Αιγύπτου ταριχέυσας ἀπέστειλεν εἰς Ῥώμην. καὶ πρῶτον ἐν τοῖς βασιλείοις ἀπεδέιχθη. — τὸν δὲ πεμφθέντα εἰς Ῥώμην εἴ τις ἀπιστεῖ, δύναται ἱστορῆσαι. ἀπόκειται γὰρ ἐν τοῖς ὁρίοις τοῦ ἀυτοκράτορος τεταριχευμένος, ὡς προεῖπον. *In Arabiae vrbe Sauna repertus eſt hippocentaurus, in monte admodum excelſo — eum Arabiae rex cum vivum cepiſſet, cum aliis donis miſit in Aegyptum ad Caeſarem. — Sed aeris mutationem non ferens, mortuus eſt. Eum conditum Aegypti praefectus Romam miſit. Et primum in palatio monſtratum eſt. — Et eum qui Romam miſſus eſt, ſi quis non credat, videre poteſt. Conditus enim repoſitus eſt in imperatoris finibus.* Vel ex his Plinii & Phlegontis locis ſatis intelligitur fuiſſe animal Romae, quod centaurum vocaverint. Fuit procul dubio vel muliebris vel equinus foetus monſtroſus, quae eſt probabilis Bocharti ſententia.

(2.) Xenophon hiſtor. Graec. L. I. ἐκεῖνος μὲν ἐν μέλιτι τιθεὶς, καὶ κομισθεὶς ὄικαδε ἔτυχε τῆς βασιλικῆς ταφῆς. *In melle poſitus & domum relatus, regiam ſepulturam conſequutus eſt.* Sunt qui reddunt: *melle oblitus*, quod nec per Xenophontis verba, nec per rationes phyſicas licet.

corpus, qui in Menelai portu inter Aegyptum & Cyrenas morbo implicitus moriebatur, amici, quo facilius Spartam referre possent, melle perfundebant. (3.) Alexandri Magni etiam corpus Alexandriae in melle durabat. (4.) Democritus melle voluit omnia corpora servari. (5.) Neque ad animalium tantum corpora conservanda melle vtebantur, sed ad reliquas etiam res, quas putrescere nolebant. Columella

cet. Quae melle oblita tantum sunt, durare nequeunt, necesse est vt tota melle penitus perfundantur.

(3) Diodor. Sic. L. 15. τοῦ σώματος ἐν μέλιτι κομισθέντος εἰς τὴν Σπάρτην, ἔτυχε τῆς βασιλικῆς ταφῆς τε καὶ τιμῆς. *Corpus in melle Spartam delatum regiam sepulturam atque honorem consequutum est.*

(4) Statius Sylv. 3, 2.
Duc & ad Emathios manes, vbi belliger vrbis
Conditor Hyblaeo perfusus nectare durat.
conf. Curt. L. 10. c. 10, 12.

(5.) Elegans est locus Varronis apud Nonium c. 3. verbo Vulgus: *Quare Heraclides Ponticus plus sapit, qui praecepit vt comburerent, quam Democritus, qui vt in melle servarent; quem si vulgus sequutus esset, peream, si centum denariis calicem mulsi emere possemus.* conf. Plin. L. 5. c. 55. Huc etiam Lucretii versus L. 3. v. 902. pertinent:
Nam si in morte malum est malis morsuque ferarum
Tractari, non invenio qui non sit acerbum
Ignibus impositum calidis torrescere flammis,
Aut in melle situm suffocari. —

mella docet ita optime etiam mala posse custodiri. (6.) Nam *talis*, inquit Plinius, *mellis ipsius natura est, vt putrescere corpora non sinat.* (7.)

Cera quoque cadavera animalium oblinita esse constat, qua in primis Persae mortuos condiebant, vt quam maxime permanerent diuturna corpora. (8.) Videntur tamen Graeci & Romani cera tantum vsi, quando mel non suppetebat. Nepos & Plutarchus, Agesilaum, quem melle perfusum Xenophon vult, cera circumfusum esse perhibent, quod mel non ha-

 buis-

(6.) Colum. L. 12, 45. 1. *Nibil certius aut melius experti sumus, quam vt cydonea maturissima integra sine macula & sereno caelo, decrescente luna legantur & in lagoena nova, quae sit patentissimi oris, detersa lanugine quae malis inest, componantur leviter & laxe, ne collidi possint: deinde cum ad fauces vsque fuerint composita, vimineis surculis sic transversis arctentur, vt modice mala comprimant, nec patiantur ea, cum acceperint liquorem sublevari. Tunc quam optimo & liquidissimo melle vas vsque ad summum ita repleatur, vt pomum submersum sit. Haec ratio non solum ipsa mala custodit, sed etiam liquorem mulsei saporis praebet, qui sine noxa possit interdum dari febricitantibus, isque vocatur melomeli.*

(7.) Plin. L. 22. c. 24.

(8.) Cicero Tuscul. quaest. L. I. in fine: *Persae etiam cera circumlitos mortuos condiunt, vt quam maxime permaneant diuturna corpora.*

buiſſent amici. (9.) Atque cum cerae a putredine caetera vindicant, mirum videtur Plinio, eas etiam animalcula quaedam gignere. (10.) Quin etiam hodie quibusdam in locis piſces cera circumfunduntur & ita a mercatoribus ad exteros transmittuntur. (11.)

Denique etiam ſalſuram ad conſervandas res naturales adhibebant. Vetuſtiſſimam vero hanc exiſtimo rationem, quam cum incommoda ſit, cognito mellis vſu, neglexiſſe veteres. Corpus ſuis Aeneae Lavinii, quae peperat XXX. porcos albos, quod protendit (nam erat portentum, ſi plures pariat, quam mammas habeat.) vt poſt XXX. annos Lavinienſes condiderint oppidum Albam, a ſacerdotibus, quod in ſalſura fuerit, demonſtrabatur adhuc Varronis

(9.) Cornel. in vita Ageſilai: *in morbum implicitus deceſſit, ibi eum amici, quo Spartam facilius perferre poſſent, quod mel non haberent cera circumfuderunt, atque in domum retulerunt.* Plutarchius in vita Ageſilai: οἱ παρόντες κηρὸν ἐπιτήξαντες τῷ νεκρῷ, μέλιτος οὐ παρόντος, ἀπῆχον Σπαρτιᾶται εἰς Λακεδαίμονα. *Cera cadaveri illiquefacta, quia mel non ſuppetebat, Lacedemonem retulerunt Spartiatae.*

(10.) Plin. L. 11. c. 33.

(11.) Pokoks Reiſe 1 Th. p. 30. Bey Jamiate giebt es eine Art von Muletten, welche man in Wachs gießt, und auf die Art durch die ganze Türkey und in verſchiedene Chriſtliche Gegenden verfährt.

nis memoria. (12.) Probare salis vsum ad servanda corpora animalium videtur etiam verbum Graecorum ταριχεύειν; quod cum proprie sit *Sale condire*, tamen etiam apud Herodotum, Diodorum Sic. aliosve ταριχεύω νεκρὸν est *mortuum pollingo*; propterea, puta, quod vetustissimo tempore sale condita corpora sunt. Atque Plinius *Salis*, inquit, *natura, corpora adstringens, siccans, alligans: defuncta etiam a putrescendo vindicans, vt durent ita per saecula.* (13.)

§. 3.

Hodie qui vel paululum historiam & philosophiam naturalem amant, ii solent colligere ipsi, quidquid offendunt in rerum natura pulcrum, eximium, rarum; gaudentque suis rerum naturalium collectionibus, quae & vtilitatem & iucunditatem afferunt possessoribus. Nihilo minus confiteri me oportet, me nondum neque apud Aristotelem, neque apud Plinium, neque apud alium quemquam quidquam de istiusmodi rerum naturalium collectionibus invenisse. Mirum hoc sine dubio videbitur cuique, qui quanto studio Romani Bibliothecas & musea ornaverint non ignorat. Cicero verbi gratia vndique colligebat elegan-

 tio-

(12.) Varro de R. R. 2, 4, 18. Copiosius totam historiam enarrat Dionys. Halicar.

(13.) Plin. L. 31. c. 9.

tiores imagines & ſigna, maxime eorum, qui eruditionis antiſtites fuerant. Exquiſitum in Tuſculano erat opus Hermeracla, quae Mercurii & Herculis imagines coniunctas in vno corpore exhibebat, quodque e loco remotiſſimo adducendum curaverat. (1.) Quid ergo cauſſae eſſe putemus, cur veteres non eadem cura res naturales collegerint? *Curioſitas naturalis*, quam vocat Linnaeus, fuit ſane in Plinio, qui ſi quid viderit rarum, non omittit addere illud: *Vidi, vidimus.*

(1.) Cicero L. 7. ep. ad diverſos 23. & L. 1. epiſt. 10. ad Atticum.

CAP.

CAPVT V.

DE

RATIONE AGNOSCENDI VETERVM ANIMALIA.

§. I.

Expoſita hactenus Zoologiae veterum ratione, quaedam quoque quomodo poſſimus cognoſcere, quae ſint animalia, de quibus veteres tradiderunt, diſſeramus. Difficile admodum hoc eſſe, ſciunt, qui ad rem quamque, de qua agitur in libris veterum, animum intendere ſolent; quique quo ſtudio ſitum & locum vrbis aut viae, quarum in libris veterum mentio facta eſt, eodem inveſtigant etiam animal illud, de quo veteribus ſermo. Non magis enim hodie nomina animalium Graeca ac Latina conſtant, quam ſitus locorum. Quemadmodum vrbes nomina hodie alia habent, quam quae veteres iis indiderunt, perpaucae vero vetuſta retinuerunt; & quemadmodum complures vrbes plane deletae ſunt, vt ne veſtigium quidem ſuperſit; multas etiam novas accepit regio quaecunque; ita etiam pauca animalia retinuere nomina, plurima accepere nova, multa etiam prorſus exſtirpata ſunt in re-

gione, vbi magna olim eorum copia fuit; e contrario quoque multa e longinquo eo noviter confluxerunt, vbi olim ne visa vnquam sunt. Verum cum istae difficultates nec quidquam virorum doctorum ingenia a Geographia antiqua deterreant, sed ea potius ad eam alliciant, tanquam ad studium eruditione horum & diligentia dignum, quidni etiam in Zoologiam antiquam conferamus studium, quae aeque ac Geographia ad intelligendos Graecorum ac Latinorum libros facit vehementer. Neque sunt audiendi illi, qui cognitis difficultatibus, quibus laborat Zoologia, demonstratum eunt, plane esse *ἀδύνατον* recudere numisma animalium nominibus a veteribus inditum & ab recentioribus adulteratum. Sunt enim revera quaedam iam recusa feliciter, i. e. docuerunt viri docti quidnam sit animal, quod in hoc vel illo loco cogitaverint veteres, atque nunquam hoc studium potuit procedere felicius, quam nostra aetate, qua tot cultores acerrimo ingenio summaque diligentia nacta est historia naturalis. Vtque in magna silva boni venatoris est indagantis feras, quam plurimas capere; nec cuiquam culpae fuit, non omnes cepisse: ita nobis satis abundeque esse potest, restituere animalibus nomina, quae apud veteres habuere si non omnibus, at quam plurimis. Neque horum probanda est ratio, qui in interpretandis veterum libris, vbi bestiae cuiusdam mentio

facta est, eo contenti sunt nomine, quod in Lexicis adscriptum offendunt. Nullum est enim lexicon, nec quod vel maxime elaboratum, quod recte reddidit plurimorum animalium nomina. Saepe numero vni voci tria vel quatuor adiuncta sunt nomina Germanica, quorum vtrumque aliud denotat animal, saepe etiam adscriptum est, quod prorsus non convenit, vel quod adeo ignotum atque inconstans est, vt ipsi lectores nesciant, quodnam sit illud, quod cogitavit lexicographus. Neque ab recentioribus historicis naturae auxilium petere philologi queunt. Hos qui multa millia norunt animalia, quae veteribus prorsus incognita fuere, oportet, cuique eorum nomen dare proprium; quamobrem e libris veterum corradentes vndique vocabula, ea quae inveniunt, distribuunt, vbi vero deficiunt, nova cudunt ipsi. Neque in istis vocabulis, quibus vsi iam sunt veteres, hoc spectant, vt cuique reddant nomen suum, sed raro admodum suum cuique tribuitur, neglecta illa iuris naturalis lege, & saepe, quae olim fuerunt synonyma, dantur animantibus diversis. Nec aliter hoc fieri potest in immensa animalium turba, quae in genera & species redigi debent. Atque hoc non solum vtile, sed necessarium plane est, vt nesciam, quid sibi velit ill. D'Aubenton, qui ita vehementer reprehendit Linnaeum, qui canem, felem, viverram, mustelam, vrsumque *feras*

dixe-

dixerit, qui rhinocerotem ad *glires*, equum ad *belluas* retulerit, qui leonem, tigrim, pardum ſive pantheram lyncemque eſſe *feles* docuerit. Quicunque ſyſtema contexit, debet generi cuique, quod conſtituit nomen indere proprium. Vt vero quis offerat naturae hiſtoricus philologo novum ſyſtema, quis eſt, qui poſſit generibus novis hiſce nomina dare Latina, quae etiam ex mente Romanorum convenire videntur? Quod cum non liceat, liceat ſane hiſtoricis naturae nominibus abuti Latinis. Minor eſt enim iniuria in res derelictas quaſi, eoque conſilio Latinam adhibuerunt linguam, vt minus feriant ac offendant aures. Quamobrem qui velit reprehendere, reprehendat non vocabula, ſed res, ſed principium dividendi, characteres diſtinctivos, vti vocant. Jam vero redactis ab recentioribus ita in ordinem animalibus, videamus ſi poſſimus agnoſcere animalia, quibus Graeci Graeca illa, Romani Latina indiderunt nomina, & quo difficilius hoc eſſe experiamur, eo facilius veniam phyſicis, qui tot & ita variis rebus diſtenti, non omnibus optima quaeque indiderunt, impertiri debebimus. Equidem hic quasdam adiiciam regulas, quae mihi potiſſimum ad cognitionem animalium veterum dirigere videntur.

§. 2.

Sunt viri docti, qui in nominibus explicandis operam perdiderunt, quae animalium eſſe

eſſe falſo putarunt, quorum auctoritas ne quemquam in errorem inducat, huius rei exempla quaedam praemittamus. Plinius, vbi mare gignere perhibet pleraque ad ſimilitudinem eorum, quae in terra reperiuntur, ſive animalium, ſive etiam rerum caeterarum, exempli gratia appellat vuam, gladium, ſerras, cucumim. Rondeletius atque Aldrovandus ſollicite inveſtigarunt, quorumnam piſcium nomina iſta ſint. At revera illis nominibus non denotantur piſces, quod recte annotavit Harduinus, ſed ſimilitudines modo aliquae rerum terreſtrium, quas mare quoque ipſum progenerat; ſive has aliqui piſces quadam corporis parte, ſeu marini potius frutices (etiam Zoophyta) prae ſe ferant. Neque dubium afferre poteſt alius Plinii locus, vbi & cucumis & vua iterum occurrunt. Ibi enim non piſces tantum, ſed quidquid in mari gignitur atque reperitur, enarrat Plinius. (1.) Quamobrem vua & cucumis non

(1.) Primus Plinii, quem laudavi, locus eſt L. 9. c. vbi verba haec: *Vera opinio vulgi: quidquid naſcatur in parte naturae vlla & in mari eſſe: praeterque multa, quae nunquam alibi. Rerum quidem non ſolum animalium ſimulacra eſſe, licet intelligere intuentibus vuam, gladium, ſerras: cucumim vero & colore & odore ſimilem: quo minus miremur equorum capita in tam parvis eminere cochleis.* Extremum locum reddens cl. Denſo neſcio qua vſus ſit lectione, ita enim: **Daher dürfen wir uns ſo viel weniger wundern,**

non magis inter piſces quaerenda ſunt, quam pectines echinique, quorum mentio fit in Zenonis edicto. (2.) Sunt enim ibi echini, qui alias Herinacei vocantur, quorum e cute pectines ad expoliendas veſtes faciebant veteres. Ita neque Halec vel Alec vel Alex, quamquam in lexicis vulgo reddatur ein Heering, piſcis nomen fuit apud Romanos, ſed potius liquaminis genus, quod ex inteſtinis piſcium conficiebatur, quod vel ſexcenta veterum loca declarant. Neque me locum invenire potuiſſe confiteor, vbi piſcis nomen eſſe videatur. (3.) Sunt

dern, daß an einer ſo kleinen Wurzel ein Pferdekopf hervor rage. Alter Plinii locus eſt L. 32. c. 11.

(2.) Zenonis edictum legitur in codice L. 4. tit. 59. de Monopoliis: *Jubemus, ne quis cuiuscunque veſtis, vel piſcis, vel pectinum forte, aut echini — monopolium audeat exercere.* Gothofredus aliique interpretes ibi pectinem & echinum piſcium eſſe nomina ponunt. conf. Hard. ad Plin. L. 8. c. 37.

(3.) Totam halecis conficiendi rationem docet auctor Geopon. L. 20. cap. vltimo: vbi de garo: *γαρῶν ποίησις τὰ ἔγγα τὰ τῶν ἰχθύων βαλλιται εἰς σκεῦος, καὶ ἁλίζεται — καὶ ἐν ἡλίῳ ταριχέυεσται πυκνῶς δονούμενα. ὅταν δὲ ταριχευθῶσι τῇ θερέᾳ ἔξ αὐτῶν γάρος οὕ τως ἄιρεται. κοφινὸς μακρὸς πυκνὸς ἐντίθεται εἰς τὸν μεσὸν ἀγγεῖον τῶν προειρημένων ὀψαρίων καὶ εἰσρεῖ τὸ γαρὸς εἰς τὸν κόφι-*

Sunt itaque ista nomina falso animalium credita. Verum sunt etiam alia, quae animalia quidem

κόφινον καὶ οὕτως διὰ τοῦ κοφίνου διηθητὲν, ἀναιροῦνται τὸ καλούμενον λικουαμὲν, τὸ δὲ λοιπὸν πάτημα γένεται ἄλιξ. *Intestina piscium iniiciuntur in vas & saliuntur. — & in sole inveterantur, frequenterque versantur. Postquam vero per calorem fuerunt inveterati, garum ex ipsis hoc modo tollitur. Cophinus longus imponitur in vas plenum praedictorum piscium, influitque garum in cophinum: atque sic per cophinum percolatum liquamen appellatum garam suscipiunt: reliquum vero retrimentum, alex efficitur & vocatur.* conf. Plin. L. 31. c. 8. & L. 9. c. 17. *M. Apicius — in sociorum garo (nam ea quoque res cognomen invenit) multos necari praecellens putavit, atque e iecore eorum alecem excogitare provocavit.* Cl. Denso haec ita reddidit? M. Apicius — hat davor gehalten, es sey köstlich dem Barben in der gesellschaftlichen Fischtunke, denn auch diese Sache hat einen Zunamen gefunden, zu tödten, und andere gereitzet, aus ihrer Leber eine Fischlacke auszudenken. Nullo modo bene sapere potest die gesellschaftliche Fischtunke ei, qui non ignorat Socios populi Romani vocatos esse eos, qui foedere cum ipsis coniuncti erant. Neque est enim vlla sententia probabilior, quam eorum, qui putant hoc cognomen obtinuisse a sociis, forte ab Hispanis, qui illud Romam apportabant, cui omnes, quos novi, accedunt viri docti. Etsi vel falsa esset, tamen gesellschaftlich non convenit, quod si cogitasset Plinius, dixisset haud dubie Sociale garum. Sociorum vero garum saepius occurrit v. gt. L. 31. c. 8. Recentiores Garum

dem denotant, ſed non certa quaedam, ſed genera eorum, vt ii erraverint, qui quorumnam animalium ſint efficere voluerunt. Huc mea quidem ſententia pertinent ſubulones, Platycerotes, quae nomina generum, non certorum animalium videntur. Ob magnam cornuum varietatem luſiſſe videtur Plinio natura animalium armis, quas varietates omnes colligens: *Sparſit*, inquit, *haec in ramos, vt cervorum aliis ſimplicia tribuit, vt in eodem genere ſubulonibus ex argumento dictis. Aliorum finxit in palmas, digitosque emiſit ex iis: vnde Platycerotas vocant. Dedit ramoſa capreis, ſed parva, nec fecit decidua, caetera.* (4.) De iis, quos platycerotas vocat primum agamus; ii vero cervi ita dicti ſunt, quorum cornua natura in palmas finxit, digitosque emiſit ex iis, id eſt, niſi omnia me fallunt, *cervi* recentioribus etiam *palmati* dicti, ſcilicet alces, (das Elend) dama (Damhirſch) & Tarandus Linnaei. (das Rennthier) Palma eſt latior remi pars, cuius impulſu navis protruditur, cui horum cervorum cornua ſimillima ſane ſunt. Verum quidem eſt, damam (Damhirſch) ex his veteribus maxime fuiſſe cogni-

Garum appellant, quod hic Petropoli Cavear dicitur & ex ovulis Acipenſeris rutheni, Huſonis maxime & quorundam piſcium aliorum conficitur.

(4.) Lib. 11. c. 37.

cognitum, quare aliquomodo excuſanda eorum videatur ſententia, qui Platycerota damam (Le Daim) eſſe contendunt, vti Harduinus aliique. Attamen nec Tarandus iis ignotus omnino fuit, ſed a Caeſare (5.) in primis deſcriptus, qui nec ſingularem cornuum formam omiſit, ſed ipſa palmae adeo voce vſus eſt. Nomen quidem huius animalis ipſe ignoravit, cum bovem cervi figura tantum dixerit, ſed ea de eo retulit, quae nullum in animal aliud conveniunt. Eius itaque cornua his verbis deſcripſit: *ſicut palmae, rami quam late diffunduntur.* Alcis quidem hiſtoriam etiam dedit Caeſar, ſed feminam modo vidiſſe videtur, quod cornua alcem habere negat. (6.) In Gordianorum vita (7.) enarrantur in ingenti beſtiarum numero, quas populo rapiendas conceſſit Gordianus, cervi palmati. Nullus dubito, quin hi iidem ſint, quos Plinius Platycerotas vocat. Quin etiam volucrum genus eſt, quod

(5.) Caeſ. de Bello Gallico L. 6. c. 17. Cervum hunc eſſe Tarandum Linnaei probavimus in diſſertatione de praecipuis Germaniae antiquae animalibus, quae inſerta eſt diario, quod inſcribitur: Büſchings gelehrte Nachrichten von und aus Rußland. 1. Theil 2. Stück.

(6.) Pauſanias, qui in Eliacis 21. alcis quoque mentionem fecit, cornua eam habere affirmat.

(7.) In Gordianorum vita ab Julio Capitolino ſcripta in principio.

quod cum pedes palmis ſimiles ſint, a palma nomen eodem modo invenit, nimirum eae, quae nec aduncos vngues, nec digitos ſolutos, ſed pedes *natatorios* habent *digitis membrana palmatis*, vt verbis vtar Linnaei, (8.) quo in genere ſunt anſeres & aquaticae fere aves. Videmus igitur veteres nomina generica a palmae voce formaſſe, atque hinc efficitur, platycerotes vocatos eſſe omnes cervos, qui cornua habent vel tota palmata, vti alces, vel ſummitatibus tantum palmata, quemadmodum damae ac Tarandi; neque platycerotis nomen ſynonymum damae tantum eſſe.

De Subulonibus vero non adeo probabilem reddere poſſum ſententiam meam. Quinam cervi vocati ſunt ſubulones? ii, quibus natura tribuit cornua ſimplicia. Singularis cervorum cornuum, quae in ramos ſparſa ſunt, forma, quae non poteſt omnium in ſe convertere oculos, obſtat, quo minus eo adduci poſſim, vt credam veteres ad cervos etiam retuliſſe animalia, quorum cornua non ſunt ramoſa. Malim credere, e cervis ſubulones dictos eſſe, quos cervos in ſenſu ſtrictiori appellant veteres, i. e. elaphos Lin. Hirſche; quorum ramos ſubulis quodammodo non ſunt diſſimiles. Nam Fe-

(8.) Plin. L. 10. c. 11. *Volucrum prima diſtinctio pedibus maxime conſtat. Aut enim aduncos vngues habent, aut digitos, aut palmipedum in genere ſunt, vti anſeres & aquaticae fere aves.*

Festum non curo, qui a Tusco vocabulo nomen deducit, cum subulo Tusce tibicen diceretur. At verum vt fatear, nescio si Plinius potuerit cervorum cornua dicere simplicia; nisi forte ideo ea ita dixit, quod non tam artificiose effecta sunt a natura quam palmatorum, quae cum sunt paucis tantum cervis, magis artificiosa videri poterant. De capreis vero separatim loquutus est loco laudato Plinius, credo propterea, quod vltima quasi species cervorum sit, quae proxime ad reliqua cornigerorum genera accedit, quamobrem idem etiam Plinius alibi capreas ad caprarum genus retulit. (9.) Namque non dubito, quin caprea sit

(9.) L. 8. c. 53. *Caprae in plurimas similitudines transfigurantur. Sunt capreae, sunt rupi caprae, sunt ibices* caet. A poetis quidem saepe numero nomina *capra* & *caprea* permutantur, cuius rei duo afferam exempla. Virg. Georg 2. v. 374. vbi iniurias canit, quas viti inferunt pecora, capream dicit, cum sine controversia capram cogitaverit, & mox deinde etiam capri nomine vsus sit.

Texendae sepes etiam & pecus omne tenendum est:
Praecipue dum frons tenera imprudensque laborum:
Cui super indignas hiemes, solemque potentem,
Silvestres vri assidue capreaeque sequaces
Illudunt —
Non aliam ob caussam Baccho caper omnibus aris
Caeditur. —

Plin.

Linnaei capreolus, das Reh. Denique & alia sunt animalium nomina, quibus nec venatores, nec vulgus, nec naturae historici vtebantur, sed augures soli, quae, cum propterea nomina artis fuerint, non digna sunt, studio, quod nonnulli in iis inquirendis consumserunt. Pertinent huc incendiariae aves, cli-

viae-

Plin. L. 10. c. 72. ita: *Venenis capreae & coturnices pinguescunt placidissima animalia.* At Lucretius L. 4. v. 642. idem illud de capris:

Praeterea nobis veratrum est acre venenum:
At capris adipes & coturnicibus auget.

Jam adscribamus interpretationem loci Plinii, de quo egimus. Ita cl. Denso: Nirgend zeiget sich die Ausschweifung der Natur mehr als hier. Sie hat ihr Spiel mit diesen Waffen der Thiere getrieben. Bey einer Art hat sie solche in Aeste vertheilet: als bey den Hirschen. Anderen hat sie ganz einfache gegeben: so wie bey eben dem Hirschengeschlecht den Spießern, welche davon ihren Namen haben. Anderer Geweihe hat sie mit handartigen Enden versehn und aus denselben wie Finger hervor wachsen lassen; daher man sie Damhirsche nennet. Interpres abusus est voce Spießer, quae non peculiari cervorum generi datur, de quo sermo est Plinio; sed Spießer aut Spießhirsch vocatur omnis cervus anniculus, qui nondum cornua amisit. Nec Plinius putavit cervos anniculos peculiare cervorum genus esse, cum cervi satis noti fuerint, & ipse quomodo amittant cornua accurate satis docuerit L. 8. c. 32. Neque cervi palmati s. platycerotes commodum nacti sunt nomen, quibus ab aliis plerumque tribuuntur flache, breite, oder schaufliche Geweihe.

viaeque. Clivia quidem vocabatur in auſpiciis avis quaelibet, quae aliquid prohibebat, quod Feſtus docet; (10.) quare etiam ab aliis prohibitoria vocabatur. Incendiaria vero avis fuiſſe videtur, quae incendii praeſagium praebebat. Talis quando viſa erat, luſtrabatur vrbs, & prodigium ſemper creditum eſt. Eiusmodi ergo aves, quae auguribus ſolis, immo vix ipſis notae erant, quasque nec Plinius novit, eas miſſas faciant, qui veterum velint Zoologian explicare.

(10.) Feſtus: *Clivia auſpicia dicebant, quae fieri aliquid prohibebant: omnia enim difficilia clivia vocabant, vnde & clivi loca ardua.* Ergo cuique ſatis intelligitur, aves clivias nequaquam dictas eſſe a *clivo.* Quare ſine controverſia cl. Denſo cliviam non bene reddidit Hügelvogel; quod & Fabri theſaurus docet, vbi If. Voſſius ad Catull. p. 62. laudatur, qui plura de avibus cliviis collegit. Inde etiam probatur *cliviam,* non *clivinam* legi debere in Plinio. Denique incendiarias aves viſas eſſe ante lucem tempore Commodi Antonini prodidit memoriae in vita eius c. 16. Aelius Lampridius. Plin. L. 10. c. 13. *Inauſpicata eſt & incendiaria avis, propter quam ſaepe numero luſtratam vrbem in annalibus invenimus, — quae ſit avis, nec reperitur, nec traditur. Quidam ita interpretantur, incendiariam eſſe quaecunque apparuerit carbonem ferens ex aris vel altaribus. — Cliviam quoque avem ab antiquis nominatam, animadverto ignorari. Quidam clamatoriam dicunt, Labeo prohibitoriam.*

§. 3.

Eſt etiam alia res in veterum Zoologia, quae ſaepe errandi occaſionem praebet. Nimirum quaedam animalia multis variisque nominibus gaudent apud Graecos & Latinos, quemadmodum etiam nunc in linguis hodiernis; quod qui non animadverterunt, diſtribuere ea nomina inter diverſa plane animalia. Cuius rei exempla iam attulimus quaedam Bos leucas vocabatur Elephas; ſtruthiocamelus erat paſſer marinus atque ovis fera idem erat animal quod camelopardalis. Atque ſaepe numero duo nomina nacta ſunt animalia, ſi veteres, quando illa e longinquo prima accipiebant, nomina eorum patria ſeu quae in loco natali habebant, ſervare volebant. Non poterant enim ea recte eloqui, ſed alius ea pronuntiabat atque ſcribebat alio modo & ſaepe ita diverſo, vt alter, qui bene quidem noverat animal, non poſſet tamen intelligere, de quonam animali alteri ſermo, propterea quod idem eius nomen alio modo & eloqui & ſcribere ſolebat; quare ſaepe duo nomina ex vno facta ſint neceſſe eſt. Eiusmodi nominum corruptio ſaepe nocuit antequam animalia in ſyſtema erant redacta, quare haud eſt, quod miremur, ſi eiusdem rei etiam apud Graecos Latinosque exempla offendimus. Admodum vero difficile eſt hanc errorum cauſſam agnoſcere. Scire enim debemus, vnde acceperint primum animalia veteres

&

& quaenam ibi ea nomina habuerint. Vnum tamen exemplum inveniſſe mihi videor. Plinius (1.) vno eodemque loco duo enarrat animalia, alterum vocat Alcem, alterum Achlin. Alcem quidem illud eſſe animal, quod noſtrates vocant Elend demonſtraſſe mihi videor; (2.) illud vero a maioribus noſtris appellabatur Elch ſeu Elg, (3.) quin etiam a ſuecis hodiernis Aelg. Romani primum hocce animal viderunt in Germania. Plinius Septemtrionem illud ferre vult; Caeſar vero Germaniam. Nomen apud barbaros audiebant, in ſuam illud linguam volentes transferre male ac vario modo tranſtulere. Alii ex Elch ſeu Elg ſeu Aelg formabant alces, alii achlis. (4.) Nam etiam achlin

(1.) Plinius L. 8. c. 15. *Septemtrio fert & alcem, ni proceritas aurium & cervicis diſtinguat iumento ſimilem. Item natam in Scandinavia inſula, nec vnquam viſam in hoc orbe: multis tamen narratam Achlin, haud diſſimilem illi, ſed nullo ſuffraginum flexu: ideoque non cubantem, ſed acclinem arbori in ſomno, eaque inciſa ad inſidias capi, alias velocitatis memoratae. Labrum ei ſuperius praegrande, caet.*

(2.) In diſſert. de praecipuis Germaniae antiquae animalibus.

(3.) Wachterus in Gloſſar. T. I. p. 362.

(4.) Fortaſſe quibusdam minus veriſimile videbitur, nomen vetuſtum maiorum noſtrorum ita ſervatum eſſe, vt nos illud poſſimus agnoſcere. At graviſſimum huius rei documentum praebet locus Plinii mox mihi laudandus, vbi *anſeres*, inquit, *in Germania vocantur Ganzae.*

Septemtrionem ferre docet Plinius, & quae hic de achli, ea Caesar de alce prodidit; scilicet illud de cruribus sine nodis articulisque (5.) Quae vero Plinius solus de achli enarrat, ea optime in alcem conveniunt omnia. Quis est enim, quin sciat, esse illud animal, quod Elend vocamus, velocitatis tremendae & esse ei labrum superius praegrande ac prominulum? Solus est etiam Plinius, qui achlis voce vsus est. Solinus quidem eiusdem etiam historiam suo operi inseruit, sed nomen ei suspectum fuisse videtur, cum illud non addiderit. Quae cum ita sint, nullus dubito, quin hi operam perdiderint, qui probare voluerunt, esse aliud animal alcem, aliud achlin. Deinde cum Latini plurimas res, sicut in aliis doctrinis, ita quoque in historia naturali e Graecorum libris hauserint, possunt etiam illi, si quibus de animalibus Graeci loquuti sunt, non recte intellexerint, negotium facessere. Non nego, Romanos litteris ornatos Graece etiam bene fuisse doctos, attamen cum qui hodie linguam callent Galli-cam

(5.) Caes. de B. G. L. 6. c. 17. *Crura sine nodis articulisque habent alces, neque quietis caussa procumbunt; neque si quo afflictae casu conciderunt, erigere sese aut sublevare possunt. His sunt arbores pro cubilibus. Ad eas se applicant, atque ita paullum modo reclinatae quietem capiunt; quarum ex vestigiis cum est animadversum a venatoribus, quo se recipere consueverint, omnes eo loco, aut a radicibus subruunt, aut accidunt arbores.* caet.

cam nihilo minus interdum in interpretandis rerum naturalium nominibus potiſſimum vel haeſitent vel errent, nonne etiam Latini eodem modo errare potuerunt? Atqui hoc Plinius ſuis erroribus comprobat. Nomina Graeca λαγῶς & δασύπους vnum atque idem denotare animal, leporem nimirum graviſſimis argumentis effecit Bochartus. (6.) Plinius vero diverſorum eſſe animalium nomina falſo putaſſe videtur. Daſypodem enim & a lepore & a cuniculo (ne credas eum putaſſe daſypodem eſſe cuniculum) diverſum fecit. (7.) Quin etiam ſe haeſitaſſe ipſe indicare videtur, atque

N 5 hoc

(6.) Hieroz. L. 3. p. 997.

(7.) Plin. L. 8. c. 55. vbi de lepore & cuniculo egit: *lepus*, inquit, *ſolus praeter daſypodem ſuperfetat, aliud educans, aliud in vtero pilis veſtitum, aliud implume, aliud inchoatum gerens pariter.* Et L. 10. c. 63. *Daſypodes omni menſe pariunt & ſuperfetant, ſicut lepores.* Omnia quae habet Ariſtoteles L. 6. hiſt. an. c. 6. de daſypode, en quoque Plinius de daſypode, quem vero vbique de lepore diſtinguit. Mihi legenti quae Herodotus ac Ariſtoteles de leporibus ſuperfetantibus ſcripſerunt, redeunt in memoriam, quae Anacreon canit od. εἰς χελιδόνα de amore ſuo nidulante in corde ſuo. Optime enim illis reſpondent:

πόθος δ' ὁ μὲν πτεροῦται,
ὁ δ' ὠὸν ἐστιν ἀκμὴν,
ὁ δ' ἡμίλεπτος ἤδη.

hoc idem etiam in caussa fuit, quod nomen Graecum in linguam Latinam transtulit. (8.)

Denique animalia subinde nova solent accipere nomina atque tunc vetera aliquamdiu quidem durant sed paulatim obsolescunt; vnde haud dubie errores oriuntur. Ita Plinii iam aetate imperitum vulgus vris bubulorum nomen imponebat, (9.) quem loquendi modum sequutus est Scholasticus ille Agathias Smyrnaeus qui post Procopium Justiniani principis eiusque ducum res gestas scripsit. (10.) Aliud est etiam exemplum, satis quidem illud notum, quod vero, cum bene sententiam nostram declaret, adiiciam. Apud Graecos probatae auctoritatis synonyma sunt *οἶστρος* & *μύωψ*. Ita Jo apud Aeschylum (11.) queritur, se mirum in modum ab Oestro exagitari, & ibidem paulo

(8) Haesitare omnino videtur, quod etiam visum est Harduino. Nam L. 7. sect. 9. *Praeter mulierem,* inquit, *pauca animalia coitum novere gravida. Vnum quidem omnino aut alterum superfetat.* Ibi eum intellexisse leporem & dasypodem loca modo laudata indicare videntur. Cl. Denso re dubia novis vocabulis vsus est, at non vbique iisdem. Nam dasypodem modo reddidit Plattfuß modo Breitfuß.

(9.) Plin. L. 8. c. 15.

(10.) Agath. L. 1. *ταῦρος ὑλονόμος καὶ ὄρειους, καὶ τοῖς κέρασι τὸ ἀντίπαλον διαφθείρων. Βούβαλος οἶμαι τόδε τὸ γένος καλοῦσι.*

(11.) Aeschyl. in Prometheo vincto v. 544 & 650.

lo post μύωψ vocatur ea bestiola. Aristoteles e contrario &, qui eum sequutus est, Aelianus distingunt ista nomina, vt aliud esse animalculum velint οἶστρον, aliud μύωπα; siue Aristoteles animadvertit, qui accuratius loquebantur, eos ita distinguere, siue ipse disiunxit ea, vt posset nominare aliud quoque insectum affine quidem, sed diversum tamen, quod nomine adhuc carebat. (12.) Ab Romanis quidem primum ὁ οἶστρος vocabatur asilus, quod nomen iam Plinii aetate obsolescere coeperat & Senecae plane iam in desuetudinem abierat, cum Tabanus in vsum venisset. (13.) Hirudinem Pli-

(12.) Aristot. L. 4. h. an. c. 4. οἱ μύωπες καὶ οἱ οἶστροι τὰ δέρματα τετρυπῶσι τῶν τετραπώδων. & ibidem c. 7. οἱ μύωπες καὶ οἱ οἶστροι ἰσχυρὸν τοῦτο ἔχουσι. Atque Aelianus diligenter quod inter istas bestiolas intersit discrimen exposuit. L. 6. hist. an. c. 38. ὁ μὲν οἶστρος κατὰ τὰς μυίας τὰς μεγίστας ἐστὶ — — ὁ δὲ μύωψ τῇ κυναμυίᾳ παρεικάζεται. caet.

(13.) Plin. L. 11. c. 28. *Quibusdam aculeus in ore, vt asilo, siue tabanum dici placet.* Seneca ep. 58. vbi amisisse quasdam voces linguam Latinam contendit, *hunc*, inquit, *quem Graeci Oestrum vocant, pecora peragentem & totis saltibus dissipantem, asilum nostri vocabant. Hoc Virgilio licet credas:*

— cui nomen asilo

Ro-

Plinii aevo Sanguiſugam a ſuctu ſanguinis appellari vulgo coepiſſe ipſe docet. (14.) Satis haec exempla declarant, varia ratione animalia olim plura diverſaque nomina accepiſſe, quamobrem quicunque in veterum libris velit beſtiae nomen explicare, videat ſi plura ei fuerint; ne operam perdat. Attamen etiam ab eorum abhorreat ratione, qui quando ex iis, quae veteres de animali tradidere, non facile poteſt coniici, quodnam animal cogitaverint, ſtatim plura nomina eidem fuiſſe olim ponunt. Efficiunt quidem hac ratione, vt veteres plura de animali, de quo agitur, videantur tradidiſſe, ſed tantum abeſt, vt verum ii videant, vt potius

Romanum eſt, Oeſtrum Graeci vertere vocantes. Puto intelligi illud verbum interiiſſe. Hactenus Seneca. Non libet plura hic loca adſcribere, quae omnia collegit Bocharti diligentia Hieroz. L. 4. c. 14. p. 546. Aliam autem addam harum vocum chronologiam, ſi ita dicere licet, quam dat Philargyrius ad locum laudatum Virg. 3. Georg. 147. quamque apud Bochartum deſidero. *Graeci myopem primo illud dixerunt, poſtea diſplicuit nomen, quia proprium non erat & Oeſtrum dixerunt: i. e. quia furiam Oeſtrum vocant. — Latine hoc animal Tabanus & Aſilus dicitur. — Hic apud Graecos myops vocabatur: poſtea magnitudine incommodi Oeſtrum appellarunt.* Hactenus Philargyrius, cuius ego vero ſententiae accedere propter Ariſtotelis diſtinctionem abnuo.

(14.) Plin. L. 8. c. 10. quem locum iam ſupra adſcripſimus.

tius veritati officiant vehementer. Nonne hoc idem eſt, ac ſi quis velit Romani cuiusdam hiſtoriam contexere, cuius nomen ſemel tantum occurrit apud veteres atque eidem plura fuiſſe nomina contendat, vt ex multorum virorum rebus geſtis illius poſſit hiſtoriam contexere? Pelloutier (15.) vbi videt non ſufficere ad agnoſcendum illud animal, quod Biſon vocatur antiquis, ea quae de eodem retulerunt veteres; non dubitat cum bovem cervi figura Caeſaris, tum Paeonium taurum Pauſaniae idem dicere animal, atque inde demonſtrare eſſe Biſontem alcem hodiernis, cum veteres ea enarrent de Biſonte, quae nullo modo poſſunt in alcem vel taurum etiam illum Pauſaniae convenire. Neque probavit ſententiam ſuam rationibus. Denique etiam inde orti ſunt interdum errores, quod animalia quaedam diverſarum *claſſium* eadem prorſus nomina habent. Iſtam vero ὁμωνυμίαν vocabulorum procul dubio effecit ſimilitudo, quam ſibi inter iſta animalia obſervaſſe videbatur antiquitas; cuiusmodi etiam nomina in noſtra lingua occurrunt, v. gr. Perca labrax vocatur der Wolf, Mordella Erdfloh ſ. Floh, aphis Blattlaus ſ. Laus, Papilio Cardui Diſtelfink, etſi adeo frequentia non ſint, quam in aliis quibusdam linguis. Olim erant piſcibus nonnullis nomina communia cum quadrupedibus, aliis cum avibus, cum amphibiis aliis,

(15.) Hiſtoire des Celtes T. I. p. m. 451.

aliis, cum insectis ac plantis. (16.) Sed cauta recentiorum diligentia eiusmodi nomina tanquam minus idonea reiecit. Namque facile nos in errorem possunt inducere. Haud est igitur, quod miremur, quod eiusdem rei exempla in veterum etiam Zoologia reperiuntur. Reperisse vero se ea in linguis orientalibus scribit ill. Michaelis. (17.) Insigne quoque ita errandi exemplum praebent commentatores Jobi c. 4. v. 11. vbi apud interpretes Graecos nomen animalis cuiusdam est μυρμηκολέων. Quicunque locum hunc legere vult, ei procul dubio intelligetur de leone sermonem esse, quam sententiam certissimis argumentis comprobavit Bochartus, collectis nimirum veterum locis, quae myrmecaleontem loenis esse speciem, vix ac ne vix quidem a vulgaribus diversum demonstrant. (18.) Alii vero commentatores anti-

ti-

(16.) Artedus philosoph. Ichthyol. p. 66. vbi exempla & lex: *Nomina piscium generica, quae quadrupedibus pilosis, avibus — — communia sunt, omnino deleantur.* Atque Linnaeus eandem tulit legem in Philos. Botan. p. 164.

(17.) Fragen an die Reisenden in Arabien p. 224.

(18.) Bochartus Hierozoic. L. 6. c. 4. p. 815. Nos vnum inde petere volumus locum, nempe Agatharchidis c. 34. τῶν δὲ καλουμένων μυρμηκολεόντων, οἱ μὲν πλεῖστοι κατὰ τὴν ἰδίαν τῶν λοιπῶν οὐδὲν παραλλάττουσι τὴν δὲ τῶν αἰδοίων φύσιν ἀπεστραμμένην ἔχουσι ἐναν-

τίαν

tiquiores non leonem, ſed beſtiolam quandam ſive inſectum cogitavere, quod etſi diligenter ſatis deſcribunt, tamen Bochartus, cuius aetate illud minus erat notum, agnoſcere non potuit. Errarunt nempe propter vocabulorum homonymiam, cogitantes illud inſectum, quod etiam in recentiorum libris nomen ſuum retinuit. Optime enim omnia in illud conveniunt; Abſcondit ſe ſive conſepelit ſe in pulvere, manet ibi latendo, dum formicae, quibus ipſum maius eſt, praetereunt, tunc enim ab inſidiis prodit, easque interficit & conſumit. (19.) Recentiores

τίαν τοῖς ἄλλοις. *Eorum autem leonum, qui vocantur myrmecoleontes, plerique a reliquis ſpecie nihil differunt, genitalia tantum habent averſa, contra quam alii.*

(19.) Liceat hic loca quaedam adſcribere in gratiam eorum, qui Hierozoicon non poſſident. Iſidorum orig. L. 12. c. 3. *Formicoleon ob hoc vocatus quia eſt vel formicarum leo, vel certe formica pariter ac leo. Eſt enim animal parvum formicis ſatis infeſtum, quod ſe in pulvere abſcondit & formicas frumenta geſtantes interficit.* Et poeta barbarus in Patavina bibliotheca:

Eſt formicoleon formicarum leo, qui ſe
Pulvere conſepelit, hicque latendo manet.
Formicae dum praetereunt, pia farra trahentes,
Prodit ab inſidiis, has ſpoliando necat.

Sed Vincentius de Doctrin. L. 16. c. 117. qui falſo putabat e formicarum genere illud animalculum eſſe, ſuo ingenio quaedam admiſcuit. *Formi-*

res quidem, qui diligentius ad hoc insectum animum attenderunt, insidias omnes omnino, quas formicis in primis struit, prodiderunt. (20.) Verum satis de evitandis erroribus.

§. 4.

Quamquam iam satis probavimus, animalia subinde nova nomina accepisse, quo antiqua in desuetudinem abierunt, vt ne nota quidem fuerint posteris; tamen quaedam nomina vel omnino non, vel leviter mutata ad nostram vsque aetatem venerunt ita, vt facile quaenam ista sint animalia indicent. V. gr. elephas, leo, falco. Quin etiam nomina Germanica quae Latini in suam linguam transtulerunt, ea interdum servata sunt v. gr. Alces. Atque huc pertinet in primis Plinii locus, vbi anseres in Germania Gantas vel Ganzas vocari memoriae pro-

micarum leo, qui myrmecoleon dicitur, vermis est de genere formicarum, sed multo maior, qui dum adhuc parvus est & invalidus robore, pacem ac modestiam simulat: sed cum vires accepit, pristina consortia despicit & iam maiorum turbam comitatur. Itaque invalescens audacia, formicis ad vsus communes laborantibus, inhians delitescit, & qui sibi nihil in aestate paraverat, in hieme labores eorum diripit ac destruit.

(20.) Ab Linnaeo vocatur Hemerobius (nam est hemerobius, quando alas accepit) Formicoleon Syst. nat. 2. 10, 4. Auctoribus ibi laudatis adde Ledermullers Mikroscopische Augenergötzung. Tab. 45.

prodidit. (1.) Leve eſt vero plerumque argumentum, quod quidam petere ſolent e linguis hodiernis Latinae cognatis, Italica nimirum, Hiſpanica, Gallica. In iis enim ſaepe nomina aliis atque diverſis animalibus indita videmus; ita Le Dain Gallorum nequaquam eſt Dama veterum. Maioris ſane momenti ſunt voces, quae ὀνοματοποιητικαι vocantur, i. e. quae ſonum animalium imitantur. Hae enim quorumnam ſint, ipſae declarant. *In regno animali*, inquit Wachterus, (2.) *multae voces ita ſunt comparatae, vt videri poſſint omnibus nationibus ab ipſa ſuggeſtae natura. Graecis balatus ovium dicitur* βη βη *& per epentheſin* βληκη, *micatus caprarum* μηκη, *a ſono quem edunt*

(1.) Plin. L. 10. c. 22. De hac voce diſſerit Wachterus T. I. p. 521. ita: *Germanis hodie radix excidit. Supereſt tamen in quibusdam gentibus, vbi* CAN *albus* (omittimus exempla) — *ab hoc igitur primitivo anſer, tanquam avis candore notabilis, in multis linguis admirando vocum concentu denominationem accipit, ita vt Graecis dicatur* χὴν, *dorice* χὰν, *Latinis anſer per aphaereſin quaſi canſer.* — *noſtratibus* Ganß. — *vbi veteres Plinii editiones ganſas legunt, ibi Harduini editio exhibet gaſas. Vtraque vox candore ſe tuetur. Aliis enim albus vocatur Can, vt Celtis, aliis cas vt Scythis.* Ita Wachterus. At editio Harduini, qua ipſe vtor, habet *Gantas*, non *Gaſas*, cuius lectionis ne mentio quidem facta eſt.

(2.) Gloſſar. T. I. p. 622.

edunt iſta animalia. Hinc porro invaluerunt verba apud omnes gentes clamores animalium imitantia, cuiusmodi ſunt apud Graecos βλαχαομαι, μηκαω, κραζω, πιπιζω, κοκκιζω, ὀλολυζω *& ſimilia. Latini habent balare ab ovibus, micare a capris, glocire a gallinis, mugire a bubus, coaxare a ranunculis, crocire a corvis, vlulare a lupis & bubonibus, pipire ab ovium pullis, Germanis ex eadem ſchola prodiit* meckern, blecken, heulen, *& plura alia, quae naturae accepta referre fas eſt, cuius vox apud omnes gentes quamvis moribus & linguis diſcordes, eadem eſt & omnibus gentium inter ſe commerciis antiquior. Huius concentus tam admirabilis ac iucundi documenta proſtant quoque in ipſis animalium nominibus, ſi non omnium, certe nonnullorum. Hinc idem animal Graecis vocatur* βοῦς, *Latinis bos, Cambris bu, a mugitu, quorum poſtremum hodie ſupereſt in lingua puerili apud Suecos. Graeci non ſemper naturam dicentem voce ſequuntur, crebrius Latini & Germani. Hinc monſtrum illud noctis, quod noctua vocatur, Latinis per imitationem, dicitur bubo, cucuba, Germanis vſu. Vnde niſi a clamore lugubri? — Prae caeteris vero lingua Germanica in formandis volatilium nominibus felix & fertilis eſt. Sic fringillam ſolent vocare* Fink, *a cantu bink, bink, quem Latini per* epen-

epenthesin litterae caninae vitiant magis quam imitantur: gallinam matrem Gluck-henne, *ab anxia voce,* gluck, gluck, *vnde Latinis glocitare: graculum* Heher, *ab incondito clamore* he he. *Omitto pi pi, quod est nomen avis in lingua puerili inferioris Saxonicae, & gagack anseris, in eadem lingua Sueviae. Quae quamvis parvula sint, non debent a curiosis contemni. Ad hanc classem referri quoque debet* Gukguk, *quod omnino ab archetypo voce petitum.* Hactenus Wachterus; cuius e verbis satis intelligitur, indicare eiusmodi nomina, quae natura ipsa animalibus indidit, quorumnam sint; quamquam vt verum fatear, satis pleraque animalia, quibus eius generis nomina, nota sint; quemadmodum & ea, quae a membris corporis vel vitae ratione ducta sunt, v. gr. Rhinoceros. Quam ob caussam verisimile est, nullum esse in rerum natura monocerotem, quippe cuius adeo nobilis memoria deleri vix potuit.

§. 5.

Locus quoque, qui ferre dicitur in libris veterum animal quoddam, nisi oculis, at animo certe diligenter perlustrandus est, cum plerumque etiam nunc illud gignat. Quis est, qui pisces illos, quorum ingentem copiam adiuvante Christo cepit Petrus ex iis, quae hac de re memoriae prodidit Lucas cap. 5. agnoscere

O 2 posse

posse sibi videtur? Nam praeter piscatus occasionem nihil ibi proditum legimus, quod possit adiuvare. Sed sufficit ad agnoscendum piscium genus vel locus natalis, quem nominavit Lucas. Lacum enim Galileae Genezareth adiens Hasselquist cepit sine dubio ibidem pisces eius generis, cuius copia gavisus olim est Petrus; nimirum Sparos Galilaeos Lin. Syst. Nat. 141, 22. Et qui ipsos locos natales animalium, quorum mentionem fecerunt veteres, adire vult ac potest, is sine controversia ista facilius rectiusque poterit agnoscere. Quare non dubito, quin viri isti eruditi, qui Arabiam perlustrati sunt, admoniti ab Ill. Michaele magnam historiae naturali lucem attulerint. Ita quoque cui naturae historico continget aliquando eam adire regionem, quae est inter Bosporos duos, Cimmerium & Thracium, sive circa Pontum Euxinum, is profecto & veterum historiam naturalem, lectis diligenter Graecorum ac Latinorum libris, optime explicabit & historiam ipsam novis accessionibus augebit. Attamen etiam annotandum, fuisse olim in terris quibusdam animalia, quorum nostra memoria ibi nec reliquiae, nec vestigia supersunt. Cuius rei, cum digna ea sane est, quae tum a philologis, tum physicis atque naturae historicis annotetur, quaedam hic afferamus exempla. Fuisse quondam in Germania & alces & vros & tarandos (Rennthier) frequentes, e Caesaris commen-

mentariis de bello ibi gesto iam probavimus. Hodie vero nulli ex his in ea certe Germaniae parte, vbi Caesar bella gessit superstites sunt. Nam vrorum quidem reliquiae in Polonia modo & quibusdam Borussiae regionibus reperiuntur; (1.) vbi etiam alces. Sed tarandi ad vnum omnes abierunt, quin etiam qui hinc in Germaniam missi sunt, cito perierunt. Vrsi olim in Thracia permulti fuerunt, hodie nulli. (2.) Magna etiam leonum vis olim fuit in Syria, Arabia, (3.) Aegypto atque Palaestina. (4.) At diligens animalium indagator Hasselquist leones nec in Syria, nec in Palaestina, nec in Aegypto invenit. Obiecit vero temere philologis propter loca sacri codicis, quae in his terris leones esse perhibent dubium, cum hocce non vnum animalium migrationis exemplum sit; (5.) cuius variae esse possunt rationes. Haud dubie silvarum vastarum excisio in caussa est, (6.) extra quas ferae quaedam de-

 gere

(1.) Kleins Historie der vierfüßigen Thiere p. 12. Unter der Regierung Friedrichs des ersten funden sich noch in Samland unweit dem Flecken Taplack Auerochsen.

(2.) Pausan. Arcad. c. 17.

(3.) Aristot. hist. an. L. 6. c. 31. Plin. L. 8. c. 16. Curtius L. 8. Agatharchides L. 5. c. 33. Diodor. L. 2. Xenophon de venatione.

(4.) Videsis loca collecta a Bocharto Hieroz. L. 3. c. 1. p. m. 723.

(5.) Hasselquist in itiner. p. 563.

(6.) De his silvis vid. Cluver. Ger. ant. L. 3. c. 48.

gere prorſus nequeunt; itemque mutata caeli qualitas. Quam vehementer vero caeli ſtatus in patria noſtra mutatus, intelligitur, ſi antiquam Germaniam cogitamus, quae terris informis, caelo aſpera, triſtis cultu atque aſpectu, ſilvis horrida & foeda paludibus fuit, (7.) vbi quotannis Danubius & Rhenus, quemadmodum hic loci Newa fluvius, congelaſcebant. (8.) Tot ſilvis exciſis, tot paludibus exſiccatis, habitabilis quidem evaſit hominibus, ſed eo magis inhabitabilis animalibus quibusdam. Atque eodem modo piſces, qui in aqua, quemadmodum caetera animalia in aere, degunt, necantur atque exſtirpantur, quando aqua mutatur v. gr. quando ſalſa evadit. Cuius rei in Sibiria exempla offendit Gmelin. Quidam enim ibi lacus, quorum aqua dulcis fuit, ſalſi evadunt, & qua ratione ſalſitudo augetur, ea etiam piſcium numerus in dies imminuitur, adeo quidem, vt nonnulli iam lacus omnes incolas amiſerint. (9.) Quasdam etiam feras exſtirpavit in regionibus quibusdam nimius venatus, ſicut in Anglia lupos, in America paſſeres, in Sibiria Zibellinas. Lupis quidem olim ſcatuit Brit-

(7.) Tacit. de mor. Germ. c. 2. & c. 5.

(8.) Plin. panegyr. L. 11. Pelloutier hiſt. des Celtes T. 1. p. 120.

(9.) Gmelin Flora Sibirica p. 23. *Dignum animadverſione eſt, quosdam lacus poſt hominum memoriam aqua dulci exuberantes, noſtris temporibus ſalſos evaſiſſe* caet.

Brittania, quos exſtirpandi negotium viris nobilibus dabatur, & Eduardus III. qui circa confinia Saeculi XI. imperium tenuit, praemia tribuebat eis, qui caput lupi offerret. Ita ad vnum omnes exſtirpati ſunt, vt poſt Henrici I. tempus ne vnus quidem ſuperfuerit. (10.) Paſſeres vero inconſulta Europaeorum induſtria fugavit ex America ſeptemtrionali, vbi poſtea inſectorum copia, quae, vt alimentum paſſeribus eſſent, ibi generat rerum natura, adeo invaluit, vt beſtiolae illae maius iam incommodum afferant incolis, quam olim maior paſſerum natio. (11.) Propter venatum quoque rariores hodie ſunt in Sibiria Zibellinae, (Zobel) quin etiam e multis regionibus omnes abierunt. (12.) E regione vero kamtſchakae iuxta fluvium Ledam fumus, quem averſantur, abegit haſce muſtelas, quarum pelles pretioſiſſimae ſunt, cum incolae agros incendiis fertiles frugum reddere voluerunt. (13.) Atque cum Romani ingentem ferarum vim ex Aſia & Africa in Italiam ad ſpectacula ludosque transfere-

(10) Polydor. Virg. hiſt. angl. L. I.
(11.) Kalm in itinerario.
(12.) Müllers Saml. Rußiſcher Geſchichte, Th. 3.
(13.) Prodidit hoc Stephanus Kraſcheninikow in deſcriptione Kamtſchakae T. 1. p. 157. qui liber multas res, quae ad phyſicam & hiſtoriam naturalem faciunt continens e Ruſſica lingua, qua conſcriptus eſt, in Angliam quidem nuper converſus eſt, nondum vero in Germanicam.

ferebant, qua de re iam egimus, tanta iam Ciceronis tempore pantherarum erat in Cilicia paucitas, vt vix aliquot Coelio eas roganti mittere posset (14.) Si igitur veteres referunt de animali, quod hodie ea terra non fert, quam natalem eius dixerunt, hoc nequaquam probat, veteres aliud animal cogitasse. Verum videamus quoque, ne in eorum errorem incidamus, qui nomen animalis, cuius sicut vulgaris atque cuique satis noti mentionem fecerunt veteres, isti tribuunt, quod ante pauca modo saecula translatum est in nostrum orbem sive in Europam. Jam dudum disputarunt viri docti, quae sit ea avis, quae a veteribus Meleagris dicitur. Plurimi contendunt esse eandem, quam nos vocamus Indianischer Hahn seu Kalekuter (Lin. Meleagris Gallopavo 88, 1.) quae est sententia Gesneri, Bellonii, Aldrovandi, Casauboni aliorumque. At multis rationibus probare mihi posse videor, viros hos errasse. Nam paucis de animalibus (hoc enim argumentum huc spectat; aliud afferamus infra) tempus ita certo

(14.) Elegans est locus Ciceronis in ep. L. 2. ad diversos 11. *De pantheris, per eos, qui venari solent, agitur mandato meo diligenter. Sed mira paucitas est. Et eas, quae sunt, valde aiunt queri, quod nihil cuiquam insidiarum in mea provincia nisi sibi fiat. Itaque constituisse dicuntur in Cariam ex mea provincia decedere.* Haec scripsisse visus est Cicero Plutarcho καλλωπιζόμενος ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις. Plut. in Cic.

certo constat, quo primum in Europam venerunt, quam de Gallopavone Linnaei; qui per duo tantum saecula in nostro orbe fuit. Cuius rei documenta collegit De la Mare, (15.) quae adscribamus cum liber ipse non adeo frequens sit, vt eum quisque queat adire: *Jacques Coeur, Argentier ou Sur-Intendant des Finances de Charles VII. fut disgracié & ses biens confisquez en 1450. Il se retire dans l' Isle de Cypre, & voyagea en Turquie. Ses amis pendant son absence menagerent son accommodement: il fut retabli dans tous ses biens. Et si l'on en croit un tradition, que l'on tient pour constante, il en rapporta à son retour, entre autres raretes, des Poules de Turquie, Gallonas Turcicas, qu'il elever dans son beau Chateau de Beaumont en Gastinois. Ce sont les premieres que l'on a sûes en France. Mais ce ne furent que de ces viseaux rares & curieux qui font l' ornement des volieres, & qui ne sont ordinairement d'aucun produit. Americ Vespucci — rapporta à son retour en Portugal, au*

O 5 *mois*

(15.) Traité de la Police. Tome III. p. 163. Risum movet error, quem ibi in addita voce Germanica commisit auctor: *on les nomme en Allemagne, Ein Indianisch oder; en Angleterre, kokof Inde.* Videlicet legit gallopavonem nostratibus vocari: ein Indianisches oder Kalekutisches Huhn, quae non intelligens, nomen ipsum esse oder putavit.

mois de Jouin 1504. plusieurs marchandises rares & precieuses; & l'on croit que ces oiseaux ou Poules du Pais furent de nombre. Quoiqu'il en soit l'on en vit peu de temps apres en France & dans les autres Pais de l'Europe. — A l'egard du tems qu'elles ont été apporteés de Portugal en France, qu'elles ont commencé d'y etre communes; il est certain, selon Scaliger, qu'il y enavoit du moins quelques-unes en 1540.— Belon dans son hist. des Ois qu'il ecrivit l'an 1555. est le premier des auteurs François qui nous en donne la description & la figure en Estampe. Campege; medicin de ville de Lyon, qui ecrivoit l'an 1560. rapporte qu'il n'y avoit alors que peu d'anneés que l'on commençoit d'en voir en France; & il ena fait une description fort exacte; comme d'un Oise aux qui etoit encore rare (16.) *Il y a enfin beaucoup d'apparence que lors du Reglement qui fut fait par Charles IX. le 4. Fevrier 1567. pour la Police generale du Royaume, les Poules d'Indes n'y etoient par encore bien communes, ni en essez grand nombre, pour être vendues dans les marchez, ou par les rotisseurs. Ce reglement contient un denombrement fort ample de toutes les differentes éspeces de Volailes & de Gibier, qui etoient alors dans le commerce, & en fixe*

(16.) Bruyerius Campeg. de re cibaria L. 15. c. 73.

fixé le prix. Il n'y est fait aucune mention de celles ci; elles n'y auroient pas eté sans doute oublieés s'il y en eut eu assez pour étre miser au nombre des vivre ordinaires (17.)

§. 6.

Solent, qui animalium nomina explicant quaedam interdum in descriptionibus veterum, quae non conveniunt in illud animal, cuius nomen illud esse contendunt, negligere tanquam falsa. Atque iure quidem saepe numero. At nullo modo licet ea in descriptionibus veterum negligere vel falsa dicere, quae cuique, qui animal videt, in oculos vsque incidunt. Ad haec enim quisque animum fere attendit, aut attendere a re ipsa cogitur. Bovem cervi figura, de quo iam egimus, vult Ciacconius esse Bisontem, quem Plinius aliique ad boum ferorum genus referunt. Quae sententia, si qua vlla, a vero abhorret. Mallem enim omnia alia, quae Caesar de hac fera memoriae prodidit falsa putare, quam ea quae de cornibus retulit, quorum rami, cum, sicut palmae, late diffundantur, cervus est sine controversia, non bos. Eodem argumento vsus est Ill. Michaelis in re-

fel-

(17.) Klein verbesserte Vögelhistorie p. 116. Keysler in seinen Reisen meldet, daß der erste Welsche Hahn, der aus Mexiko nach Frankreich gekommen im Jahr 1570. bey dem Hochzeitmahle des Königs Carls des Neunten zur Tafel getragen worden.

ſellenda de ave, quae Ibis vocabatur, ſententia Haſſelquiſtii. Haſſelquiſt enim ſibi videtur agnoviſſe hanc avem, de qua multum diſputarunt viri docti, cogitans Ardeam, quae tota alba eſt, pedibus nigris, vnguibus arcuatis maximis, quae Ardea Ibis etiam ab Ill. Linnaeo Syſt. Nat. 76, 18. vocatur. At quibus rationibus ſententiam ſuam probare voluit, (1.) eae nullae ſunt, cum in Ardeam iſtam roſtri aduncitas non conveniat, quam veteres omnes in Ibis deſcriptione annotarunt. Quin etiam in gemmis & picturis veterum, in quibus frequens avis eſt, aduncum ſatis roſtrum perſpicitur. (2.) Ardeae vero Linnaei roſtrum rectum, acutiusculum habent. Mallem itaque cum Ill. Michaele

(1.) Itinerario T. 1. p. 326. interpret. germ. *Ibis veterum Aegyptiorum quod haec fuerit avis potius crederem, quam vlla alia, quia 1) valde eſt Aegypto communis & fere propria. 2) Serpentes & edit. 3) Vaſa quae in ſepulcris inveniuntur cum avibus conditis huius ſunt magnitudinis.*

(2.) Herodot. Euterpe L. 2. p. m. 132. vbi de hac ave agit, quae angues interficit & conſumit: εἶδος δὲ τῆς ἴβιος τὸ δε. μέλαινα δεινῶς πᾶσα, σκέλεα δὲ φορέει γεράνου, πρόσωπον δε ἐς τὰ μάλιστα ἐπίγρυπον, μέγαθος, ὅσον κρέξ. τῶν μὲν δὴ μελαινέων τῶν μαχομενέων πρὸς τοὺς ὄφις. *Eius avis ſpecies talis eſt: nigra tota vehementer eſt, cruribus gruinis, roſtro maxima ex parte adunco, eadem quae crex magnitudine.* Etiam Plin. L. 8. c. 27. roſtri aduncitatem annotavit.

chaele vel totam Ibidis hiſtoriam commentitiam dicere, quam ardeam iſtam Ibidem eſſe credere. (3.) Roſtrum enim ſtatim in oculos incidit, & qui avem vel deſcribere vel pingere vult, is ad illud non poteſt non animum attendere, cum eius forma habitum externum totius avis magna ex parte efficiat. Nec eſt quod ill. Linnaeus propterea Bellonii improbet ſententiam, qui avem, quae nigra eſt, ibidem eſſe voluit. Namque duae erant ſpecies, albae quidem frequentiores erant; erant enim aves domeſticae; nigrae autem eae, quae in ipſo introitu finium in magno examine advolantes ſerpentes, adverſo agmine excipiebant, pugnaque conficiebant atque ob hoc beneficium adeo colebantur. (4.) Denique cum is, qui animal quodcunque demum ſit deſcribere vult, ea non fere omittit, quae illud propria vel notabilia vel inſignia habet, debebimus etiam in explicandis animalium nominibus videre, ſi eiusmodi quid beſtiae, cui nomen, de quo

(3.) Fragen an die Reiſenden in Arabien p. 323. Haſſelquiſts weiſſer Reiger hat einen geraden Schnabel, dahingegen der krumme Schnabel der Ibis nicht allein nach dem einmüthigen Zeugniſſe der Alten, ſondern auch nach ihren unzähligen Abbildungen auf Aegyptiſchen Denkmälern — als ein Unterſcheidungsmerkmal eigen iſt. Ehe würde ich die Ibis der Alten für eine Fabel, als Haſſelquiſts Reiger für dieſen Vogel halten.

(4.) Mela L. 3. c. 8.

quo diſputatur, tribuere volumus, inſit, atque ſi illud omiſerint veteres. Nam ſi vel maxime caetera convenire videantur, tamen, ſi veteres illud omiſerunt, vel hoc obſtat, quo minus certam vel veram dicere poſſimus ſententiam noſtram. Declarabo rem iis, quae de Meleagride diſputata ſunt, quam Gallopavonem Linnaei i. e. Kalekutiſcher Hahn, eſſe plurimi contendunt; ſed falſo omnino. Nam gallopavo mas exaeſtuat inflato pectore, exſpanſa cauda, relaxata frontis caruncula, demiſſis etiam alis, quae omnia ei ſoli propria, quicunque huius in animo habet hiſtoriam tradere, neutiquam negliget, ſicut nec pectoris barbam. Veteres quidem multa de meleagride, ſed non iſta, quibus maxime differt. Quam ob cauſſam eo adduci non poſſum, vt credam meleagridem veterum noſtratibus eſſe Gallopavonem; verum anatomicorum Pariſienſium accedo ſententiae, qui diligenter admodum demonſtrarunt, collatis iis, quae apud Graecos ac Latinos de Meleagride leguntur, eſſe hanc eam avem, e phaſianis, quae nomen Meleagris retinuit in Linnaei deſcriptione 90, 2. cui etiam P. H. G. Moehringius nomen vetuſtum ſervavit. Vocatur vero ille phaſianus, quem Meleagridem antiquorum eſſe contendo Perlhuhn, Peintade, the Guiney-Hen. (5.)

§. 7.

(5.) Memoires pour ſervir à l' hiſtoire des animaux par meſſ. de l' Acad. à Paris, p. 279. vbi etiam pictura elegans huius avis.

§. 7.

Offenduntur in multis nummis etiam animalium effigies v. gr. eorum, quae prima Romae vel in ludis vel in triumphis videbantur, quare hi multum etiam facere possunt ad agnoscenda animalia; quemadmodum etiam picturae veterum & monumenta. Voluit ex hoc fonte haurire Bochartus, qui dissertationi de oryge tabulam, in Italia, vt putatur, repertam addidit, quae vero, etsi eam & Harduinus veram & bonam praedicat, tamen nobis non valde probatur. Quae vero per aliquot annos picturae eo loco in Italia erutae sunt, vbi olim Herculanum fuit, eae fortasse magis poterunt adiuvare. At plura addere nequo, cum mihi iam non liceat libris ad hanc rem necessariis frui.

CAP.

CAP. VI.

DE
VTILITATE HISTORIAE NATVRALIS IN PHILOLOGIA.

§. I.

Jam periculum faciamus exemplis quibusdam eam vtilitatem probandi, quam ex hiſtoria naturali petere poſſunt philologi. Quorum ſtudia cum non parum in contexendis & emendandis Lexicis linguarum verſantur, quarum quidem vocum magna pars ad res naturales pertinet, vel inde iam ſatis intelligitur, quantus ſit hiſtoriae nat. vſus in philologia. Atqui cum perpauci olim philologi illam eruditionis partem amaverint, haud eſt, quod miramur, Lexica etiam nunc adeo manca & nomina rerum naturalium in iis nondum ſatis explicata eſſe. Conſtat inter omnes, quam acerbis verbis Popowitſch vir magnae eruditionis magnique ingenii haec exprobraverit illi viro immortali, cui optima linguae Latinae lexica debemus. At exprobravit temere mea quidem ſententia. Quid enim reprehendamus philologos, qui in hiſtoria naturali minus verſati fuerint, cum nec rerum naturae indagatores ipſi

ipſi ſatis ei operam dederint; quibus profecto magis hoc ſtudium convenit, quam illis? Jam cum noſtra memoria adeo culta ſit hiſtoria naturalis, aequum eſt, philologos etiam eam in rem ſuam convertere; ſed phyſicos ſane oportebat, eius elementa philologis ſuggerere. Nam ſicut navium gubernatores, qui nos quo tendamus feliciter pervehere promittunt, reprehendere non poſſumus, quod Longitudines locorum in mari invenire non poſſunt, cum mathematicos potius oporteat, eam inveniendi rationem commodam inveſtigare; ita nec philologos iure reprehendere poſſumus, qui olim non ſatis verſati fuerint in hiſtoria naturali, quam colere phyſicorum potius erat. Quando vero ratio inveniendi Longitudines, quam Harriſon docuit, ſatis probata atque nota erit, tunc nec gubernatoribus nos committamus, qui eam addiſcere eaque vti nolunt; quemadmodum in poſterum vix ferendi erunt philologi, qui in contexendis lexicis hiſtoria naturali bene iam exculta vti nolunt.

§. 2.

Multa igitur loca non recte intelligi poſſunt in libris veterum ab iis, qui hiſtoriae naturalis ignari ſunt; nec propterea ſolum, quod neſciant, qua de re ſermo, verum etiam quod rem, de qua agitur, ſi vel ſciant quae ſit, non ſatis perſpectam habeant. Atque hi non raro

libris vim & manum intulerunt, cum loca, quae non intelligebant, emendare voluerint. Huius rei quidem exempla erunt complura, sed afferam, in quae modo incidi Plinius (1.) tempus, quo aves pennas amittunt, amittunt vero quotannis, *fastidium annuum* vocat. Neque falso. Nam volucres revera eo tempore fastidio ciborum laborant Harduinus vero propter Aeliani (2.) locum, vbi narratur, pa-

(1.) Lib. 8. c. 27. Eleganter hunc avium morbum descripsit cl Hallen, cuius verba hic addam. Thiergeschichte Th. 1. p. 72. Die Vögel verliehren fast zu eben der Zeit die Federn, wenn die Bäume ihre Blätter fallen lassen. — Wenn dieser kritische Zeitpunkt einfält, bemerkt man, daß die Vögel traurig werden, sie sind etliche Wochen krank, sie fressen nicht, sie stehen einen Grad von Kälte und ein paar Tage lang ein kleines Fieber aus, wenn die neuen Säfte in die Haut einzudringen anfangen, und das Gebäude der alten Federn umstürzen, wobey die kalt gewordne Luft den fieberhaften Körper anzufallen alle Freyheit bekömt, und dann muß man ihnen das Futter und die Wohnung verbessern, wenn sie nicht darauf gehen sollen. Nos vocamus das Mausern, das Federn. Serpentes etiam simili modo annuo vexantur, quando exuvias seu senectam exuunt. Recte Plin. l. c. *vernam nauseam* hunc serpentium morbum dixit. Nam exuunt primo vere Simili de caussa vrsos post hiemalem somnum herbam devorare narrat noster L. 8 c. 36 nimirum, vt intestinum, quod nonnihil coaluerat, dum cibo dudum omni abstinuerint absistat ac dilatetur.

(2.) Hist. an. L. 1. c. 35.

palumbes ad fascinationis amuletum laurinos te-nues ramos colligere atque ad pullorum mu-nimen in nidos imponere, maluit *annuum fa-scinum* legere, etsi sententiam ipse mutaverit. Murem odisse elephantos iam (cap. 3. §. 2.) e Plinio retulimus probavimusque recentiorum testimoniis. Sed Dalecampius non murem, sed suem odisse vult; deceptumque esse Plinium affinitate vocum ὗς & μῦς. Huc etiam perti-net emendatio loci Aristotelis, quam falsam es-se historia naturalis docet. Vult philosophus, vrsum coire mense Februario & parere vrsam, quo tempore hibernat. (3.) Recte haec qui-dem. Nam vrsus coit vere mense Februario vel Aprili & cum vrsa per novem fere menses vterum ferat, (4.) incidit partus omnino in tempus, quo hibernat; nempe in mensem No-vembrem vel Decembrem. Namque introit hibernaculum circa finem Octobris & reverti-tur inde mense Martio. (5.) Nihil est itaque falsi in hocce Aristotelis loco. Nihilo minus Petavius, (6.) cui favet Harduinus hunc lo-cum emendare conatus est, putavitque Aristo-

 te-

(3.) L. 6. hist. an. c. 30. τὴν δ᾽ ὀχέιαν ποιεῖται τοῦ μηνὸς τοῦ ἐλαφηβολιῶνος. τίκτει δὲ περὶ τὴν ὥραν τὴν τοῦ φωλέυειν.

(4.) Hallen l. c. p. 543.

(5.) Lin. Amoen. Acad. T. 3. p. 159.

(6.) Vide locum & emendandi rationem in notis & emendat. Harduini ad Plin. L. 8. not. c. 11.

telem voluiſſe dicere vrſos coire menſe Novembri; credo propterea, quod Plinius coire hiemis initio perhibet. At is ibi coeundi tempus inde conieciſſe videtur, quod ex Ariſtotele didicerat, vterum ferre vrſas dies triginta & parere hiberno tempore. Hoc quidem verum, illud falſum eſt. Quam ob cauſſam ſi quis animo indulgere vult, emendet eum locum, vbi triginta dies vterum ferre vrſam legitur. Nec eſt quod quisquam dicat, mutare diverſitatem loci forſan vitae rationem; tanta enim ei vis non erit. Quodſi non licet Ariſtotelis locum mutare, qui iam Plinii memoria ita legebatur, erravit Ariſtoteles ipſe non in coeundi, ſed vterum ferendi tempore. Denique etiam omnes emendationes, quas viri docti loco illo Martialis, vbi Rhinocerotis bicornis facta eſt mentio, adhibere voluerunt, falſas eſſe iam ſupra ex hiſtoria naturali recentiorum probauimus. Haec iam ſufficiunt, cum res ipſa loquatur & qui codici ſacro lucem afferre voluerunt, ſatis iam probaverint, quantum philologis proſit hiſtoria naturalis.

CAP.

CAP. VII.

DE

VTILITATE, QVAM NATVRAE HISTORICI RECENTIORES EX VETERVM HISTORIA NATVRALI PETERE POSSUNT.

§. 1.

Quae doctrinae vel artes in obſervando tantum vel imitando verſantur, eae iam a veteribus feliciter ſatis cultae ſunt; quin etiam quaedam adeo, vt recentior aetas pauca modo addere potuerit. Venus Medicea etiam nunc artificioſiſſimum opus putatur; quemadmodum a poetis Homeri Odyſſea. (1.) Quae celeber. Plancus de mari Adriatico retulit, ea fere omnia iam Plinius recte annotaverat. (2.) Quae itaque in hiſtoria naturali oculis nudis obſervari poſſunt, ea etiam qui veteres naturae latebras ſcrutati ſunt, potuere videre atque an-

(1.) Vid. Inqui ry into the life and ritings of Homer, vbi Auctor probat, Homerum iam ſummum fuiſſe poëtam, quia ſola fere ad poeſin naturae imitatio ſufficiat.

(2.) Popowitsch Unterſuchung vom Meer.

annotare. Verum potuit quoque fieri, vt recentior aetas ab iis annotata quaedam nondum ipsa viderit. Nam constat inter omnes, res quasdam forte fortuna in oculos incidere cuidam, quas alter, qui omnem animi attentionem adhibuit, non vidit vel invenire potuit.

§. 2.

Solent historici gentium migrationes investigare & persequi, sed operae etiam pretium profecto est, bestiarum quoque migrationes inquirere. Non parvi enim refert scire, quis sit verus atque primus animalium locus natalis. Verum adeo iam plurima dispartita sunt, vt nisi e veterum libris, quae sit animalium patria coniici non possit. Oves, boves, columbae, muli hodie fere vbique gentium sunt, olim non item. Oves quidem Hercules ex Africa in Graeciam exportavit (1.) Boves ex India in Europam Bacchus, qui primus agricola dicebatur. (2.) Invectitias esse in Asia columbas & pavones & corvos tradidit Theophrastus. (3.) Deinde etiam e veterum libris discere possumus, quae animalia hodie ob insignem, quem generi humano vsum praestant, do-

(1.) Varro de R. R. L. 2. c. 1, 6. conf. Palaephatus de incredib. c. 19.

(2.) Plutarchus de Iside & Osir. conf. Diodor. L. 4 c. 4. L. 3. c. 64.

(3.) Plin. L. 10. c. 29.

domeſtica ſunt & maxima cura aluntur, olim fera fuiſſe atque ſatis diu quidem in terris quibusdam. Equi feri hodie nulli ſunt, niſi forte in regionibus, quas Europaei nondum adierunt. Qui enim in America eſſe dicuntur, reliquiae tantum ſunt equorum quos eo transvexere Hiſpani; vbi olim nulli omnino fuerunt. (4.) At feri fuere in Syria tempore Ariſtotelis; (5.) ferebat eorum greges Septemtrio, (6.) & Varronis adhuc memoria aliquot erant in Hiſpaniae, quam citeriorem vocabant Romani, regionibus. (7.) Atque etiam oves, quae neque ali, neque ſuſtentari, neque vllum fructum edere ex ſe ſine cultu hominum & curatione potuiſſe viſae ſunt iam Ciceroni, (8.) ferae antiquo tempore fuerunt, etſi negent recentiores. (9.) Nam auctoritatibus graviſſimorum virorum

 com-

(4.) Buffon in hiſt. nat. equi; qui vero ex Herodoto equos feros retulit, qui feri non fuere.

(5.) De mirab. auſcultat. in principio.

(6.) Plin. L. 8. c. 15.

(7.) Varro de R. R. L. 2. c. 1, 5.

(8.) De nat. Deor. L. 2. in fine.

(9.) Buffon Naturhiſtorie 3. Th. 1 B. p. 4. Ob gleich alle Hausthiere wild geweſen und ſind, ſo ſcheint doch bey den Schafen eine Ausnahme zu ſeyn; weil ſie ſchwach, dumm und ohne Wehr und Waffen ſind, von allen nachgeſtellet werden, ſich nicht ſtark vermehren und bald ſterben. Hallen p. 285. Man trift nirgends Schafe an, die die Zeichen von

comprobari poteſt, fuiſſe olim oves feras in Africa Phrygiaque atque eas, quas paſcimus, ortas eſſe ab ovibus feris. (10.)

3.

Verum ſi eſt, quod ſupra probavimus exemplis, veteres complures res memoriae prodidiſſe, quas recentiores falſas eſſe temere putarunt, atque animalia quaedam, quae recentior aetas primum vidiſſe ſibi videtur, viſa & cognita eſſe illis; operae pretium haud dubie eſt, res ab iis relatas, nobis vero ignotas, legere. Et quemadmodum qui Arabiam peragrati ſunt viri docti facilius & plures procul dubio res vtiles invenerunt admoniti ab Ill. Michaele, quam ſi hoc beneficio caruiſſent, ita recentiores etiam veterum libri poſſunt iuvare. Indicant enim res multas, quas rerum natura quidem fert, quae vero adhuc latent. Quis putet veteres noviſſe cancrum curſorem, (Lin. Syſt. Nat.

2, 9,

von ihrer Freyheit in den Wildniſſen an ſich trügen, ſo daß hier die Ausnahme von dem Satze; daß ein jedes zahme Thier ſeine Wilden habe, in der That ſtatt findet.

(10.) In phrygia Varro de R. R. L. 2. c. 1, 5. & L. 2, 2, 2. ib. 2, 3, 3. Colum. 7, 2. prodidit ſilveſtres & feros arietes miri coloris in municipium Gaditanum ex vicino Africae deportatos eſſe tempore M. Colomellae patrui ſui. Apicius art. coquin. 8, 4. oves feras veteribus in deliciis fuiſſe docet.

239, 1.) quem nec Linnaeus vidit vnquam, sed primus atque solus fortasse inter naturae historicos recentiores Hasselquist? At non est, quod dubitemus, quin Aristoteles & Plinius eius notitiam habuerint. Cursor ille in mari mediterraneo atque Indico est, vbi sole occiduo e mari exit in littora fabulosa ac velocissime discurrit. Vide, quam haec omnia bene conveniant in eum cancrum, qui Aristoteli ἱππεῦς vocatur. Frequens hic est secundum philosophum Pliniumque (1.) in littoribus Phoenices atque tantae velocitatis, vt vix consequi sit. Mentionem faciunt veteres draconum siue serpentium tantae magnitudinis, vt elephantos circumplexu facili ambiant nexuque nodi praestringant; ita vt belluae victae

P 5 cor-

(1.) Aristot. L. 4. hist. an. c. 2. περὶ δὲ τὴν Φοινίκην γίνονται ἐν τῷ αἰγιαλῷ, οὓς καλοῦσιν ἱππεῖς, διὰ τὸ οὕτως ταχέως θεῖν, ὥστε μὴ ῥᾴδιον εἶναι ταχέως καταλαβεῖν ἀνοιχθέντες δὲ κενοὶ, διὰ τὸ μὴ ἔχειν νομήν. *Genus cancrorum littorale Phoenice fert, tantae velocitatis, vt vix consequi sit: vnde equites illos appellarunt. Iis nihil fere intus propter inopiam pabuli.* Plin. L. 9. c. 31. vbi Harduinus annotavit, meminisse horum cancrorum etiam Nierembergium Lib. de mirac. terrae promissae cap. 92. p. 487. eumque negare pusillam castaneam mole excedere. Equidem librum illum evoluere nequeo.

corruant. (2.) Vides haec optime convenire in serpentem, qui Linnaeo Boa Constrictor S. N. 108, 300. vocatur. Ih enim ingentis magnitudinis est, quadrupedes circumdat vel cingit validissimis amplexibus, & dum moriuntur constringit, & suffocata saliva oblinit & ita demum deglutit. (3.) Et quamquam Kaempfer (4.) dubitat, quin viros etiam ita possit necare, tamen non est, quod dubitet. Nam Marcgravius vidit capram integram deglutisse. Porro multa collegit & disputavit de Onagro Bochartus, (5.) sed parum effecit. Non vidit enim, multum interesse inter asinum ferum & Onagrum, quare omnia commiscuit. Verum sine controversia ille asinus vel equus potius est, qui in recentiorum libris Zebra vocatur. Lin. 34, 3. quod animal hic Petropoli in collectio-

(2.) Plin. L. 8. c. 11. Ael. L. 2. hist. an. 21. ὀυκοῦν ἤδη ἡ γῆ δρακόντων μήτηρ ἐςὶ μεγέθει μεγίσθων. καὶ γὰρ τοὶ καὶ εἰς τριάκοντα ὀργυιὰς προήκουσι. καὶ τὸ ὄνομα μὲν το ἀπὸ γενεας ὀυ καλοῦνται, Φονέας δ' ἐλεφάντων Φασὶν ἀυτοὺς. *Aethiopia etiam mater est maximorum draconum, qui saepe ad longitudinem triginta passuum. Nomen proprium non habent, sed duntaxat elephantorum interfectores ipsos nominant.*

(3.) Lin. amoen. Acad. T. 1. p. 497. vbi etiam figura.

(4.) Amoen. exot. p. 573. Marcgrav. Brasil. 239.

(5.) Hieroz. L. 3. c. 16. p. 869.

lectione rerum naturalium, quam Academia scientiarum possidet, saepius vidi, vt nullus dubitem, quin accurate illud Philostorgius descripserit. (6.) Quod Plinius de Dactylis e conchyliorum genere prodidit, ea nisi falsa dixissent, at neglexissent sane physici, nisi Reaumurius omnia ea vera in eo concharum genere, quod Pholas Lin. 268 vocatur vidisset. (7.) Quis crediderit Aristoteli Plinioque, (8.) quae de Nautilo, qui aliis Pompilos vocabatur enarrant, nisi complures e recentioribus naturae historicis Argonautam Linnaei Syst. Nat. 282. 1. velificantem vidissent? De serico quidem multa disputata sunt a viris doctis, quae cum nondum

(6.) Philost. L. 3. c. 11. vbi de regionibus ad orientem & meridiem: *haec quoque regio fert onagros statura procerissimos & pelle mire varios, albo colore & nigro non leviter interstinctos. Quin & his insunt Zonae quaedam a spina dorsi ad latera & ventrem vsque demissae*, καὶ ἐνταῦθα ἐπισχιζόμεναι καὶ κατά τινας περιφερείας ἀλλήλαις ἐνελιττόμεναι θαυμαστήν τινα, καὶ ξένην ἀπεργάζονται πλοκὴν καὶ ποικιλίαν, *& inde divisae, & circa quosdam orbes inter se implicatae, mirum quendam & insolitum exhibent nexum & varietatem.* Hunc Onagrum Zebram esse iam Ludolfus censuit, cuius quidem sententiam ipse non legi.

(7.) Plin. L. 9 c. 61. Reaumur in comment. Soc. Paris 1712. Klein Tentam. methodi Ostracol. p. 165.

(8.) Plin. L. 9. c. 29. Aristot. L. 9. hist. an. c. 61.

dum omnia legerim, certi aliquid addere nequeo. Verum quidem eſt, Procopii demum aetate rationem ſerica texendi primum a monachis Indis ex Seribus advectam eſſe; (9.) attamen quae Ariſtoteles & Plinius de bombycino (10.) tradiderunt, ea mihi omnia probare videntur, bombycinum paululum aut nihil a Serico noſtro differre. Quodſi diſcrimen intereſt, operae pretium erit, illud inveſtigare inſectum, quod bombyx veteribus dicebatur, vt etiam bombycino frui poſſimus. Gordius ille, qui vulgo vena medinenſis, & ita quidem iam ab Avicenna vocatur, vexavit iam antiquiſſimo tempore Arabes & Indos, quare nec Galeno ignotus fuerit, etſi eum ipſe non viderit. Vocabatur vero a Graecis δρακόντιον, Latinis dracunculus. (11.) Nulla vero re alia magis

(9.) Proc. Goth. 4, 17.

(10.) Plin. L. 11. c. 22. & 23. Ariſtot. L. 5. hiſt. an. c. 19.

(11.) Lin. Syſt. Nat. 244, 3. Loca veterum collegit magnus ille Aſtruc in Abhandlungen von Geſchwülſten und Geschwühren, überſetzt von G. C. Rümpelt. 1. Th. p. 113. itemque Mead in Medicinischen Erinnerungen und Lehren, überſetzt von Müller p. 200. qui vero falſo putat, Avicennam primum huius dracunculi mentionem feciſſe. Primus enim, quem novimus Galenus eſt L. 6. de locis affectis c. 3. cuius verba haec ſunt: *In quodam Arabiae loco, vt aiunt, in tibiis hominum Dracunculi vocati naſcuntur, nervoſa natura, colore craſſitudineque lumbricis ſimiles. Multos ſa-*

magis demonſtrari poteſt, eſſe multa naturae miracula, vt ita dicam, in libris veterum, nobis adhuc ignota, quam exemplo Pinnae. Haec eſt concha maris mediterranei, Syſt. Nat. 281, 225. cuius hoſtis atrociſſimus eſt Sepia Octopodia 262, 1. eiusdem loci incola, qui, vt videt hiantem Pinnam, rapacis inſtar leonis appropinquat eamque devorat. Eſt vero cancer nudus, qui Romanis Squilla, ſed ob beneficium, quod pinnae praeſtat, Pinnophylax ſeu Pinnoteres vocabatur; (Syſt. Nat. p. 628.) hunc intra clauſtra ſua recipit pinna & dum ipſa valvulas aperit cibum quaeſitura praedatum dimittit; appropinquante vero hoſte Polypo ſive Sepia illa, celeri timidoque curſu ſe recipit cancellus ad hoſpitem, quae de periculo ſic admonita domum claudit & hoſtem excludit. Satis nota fuit haec res Graecis & Romanis, ignota vero recentioribus, e quibus nonnulli rem negare aut in dubium vocare, voluere, dum cl. Haſſelquiſt αὐτόπτης eam affirmavit. (12.)
Quin

ne audivi, qui ſe vidiſſe eos dicerent, ipſe vero nunquam vidi, neque de ortu, neque de eſſentia ipſorum quidquam exacte coniicere poſſum. Conf. Linnaei amoen. Ac. T. 2. p. 71. Algemeine Reiſen T. 4. p. 160. & T. 8. p. 38. vbi De Ulloa temere dubitat, quin ſit animal.

(12.) Plin. L. 9. c. 42. Ariſt. L. 5. hiſt. an. c. 14. Cicero de finib. 3, 19. & de Nat. Deor. 2, 48. cuius verba haec ſunt: *Pinna (ſic enim Graece dicitur.) duabus grandibus patula conchis, cum par-*

Quin immo disputando & conferendis rationibus eo pervenerunt veteres physici, de quo vt multis post saeculis cogitarent Leuvenhoekius & tot alii, suis demum a vitris admoniti sunt. Namque animalcula microscopica, quae hodie dicuntur, aliquomodo cognita fuere veteribus. Ita docuit immortalis Gesnerus, ψύχας Hippocratis similia esse animalia Leuwenhoekianis, illaque cum Heracliti sententiis convenire. (13.) Plato etiam haud dubie eiusmodi animalcula spermatica cogitavit, (14.) Atque

parva Squilla, quasi societatem coit comparandi cibi. Itaque cum pisciculi parvi in concham biantem innataverint, tum admonita a Squilla Pinna morsu comprimit conchas. Sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quaeritur. In quo admirandum est, congressune aliquo inter se, an iam inde ab ortu naturae ipsae congregatae sint? Ael 3. hist. an. c. 29. Phile v. 156. seqq. Horappol. hierogl L 2. c. 108. Dubitavit Busbequius epist. Turc. L. 4. p. 303. verane sit. Conf Linnaei amoen Acad. T. 2. p 48. & Klein tentamen methodi Ostracol p. 168. seq.

(13.) Tomo I. Comment. societatis sc. Goetting.

(14.) In Timaeo p. 1088. ex interpretatione Marsil. Ticini: *Vulva quoque matrixque in feminis eadem ratione animal avidum generandi, quando procul a foetu per aetatis florem aut vltra diutius detinetur, aegre fert moram & plurimum indignatur, passimque per corpus oberrans meatus spiritus intercludit, respirare non sinit, extremis uexat angustiis, morbis denique obpremit, quousque vtrorumque cupido amorque quasi ex arboribus*

Atque haud ſcio, an microſcopica ſint etiam illa minuta Varronis, (15.) quae non poſſint oculi conſequi & per aera intus in pecorum corpus per os ac nares perveniunt atque efficiunt difficiles morbos. Denique, vt etiam e Mineralogia aliquando exemplum afferam, gemmam, quae Aſteria nominatur a Plinio (16.) falſo noſcere ſibi viſi ſunt nonnulli. Primus enim inter recentiores eam reperit eiusque notitiam dedit celeberrimus Lehmannus, cuius humanitatem, qua mihi eam videndam praebuit, grato hic animo agnoſco. Eam quoque gemmam, cuius accuratam notitiam eamque primam debemus illuſtri Aepino, quae Tourmaline ſ. Aſchenzieher vulgo vocatur notam fuiſſe Plinio volunt viri docti, etſi alii aliud nomen ei ex his, quae apud Plinium occurrunt tribuant. Alii enim contendunt eſſe Lyncurium lapi-

bus foetum fructumve producunt ipſum, deinde decerpunt & in matricem velut agrum inſpargunt, hinc animalia primum talia, vt nec propter parvitatem videantur, nec dum appareant formata incipiunt. Mox quae conflaverunt explicant, ingentia intus enutriunt, demum educant in lucem animaliumque generationem perficiunt. conf. Buffon. 2. Th. 2. B. p. 77.

(15.) Varro de R. R. L. 1. c. 11, 2.

(16.) Plin. L. 37. c. 8. edit. Hard. T. 2. p. 785.

lapidem (17.) alii Theameden (18.) alii carbunculi speciem; (19.) id quod maxime verisimile videtur etiam ill. Aepino. Petrefacta etiam, quae dicuntur, olim & reperiebantur & propterea etiam nota erant, sed hoc certe notatu dignum est, veteres e. c. Herodotum, Platonem, Strabonem, Plutarchum, Ovidium, Senecam & Tertullianum ea nequaquam lusus naturae putasse, sed veras animalium, quorum figuram referunt, reliquias servatas e diluvio quodam. Quid, quod Herodotus in montibus Aegypti conchylia reperit atque inde coniecit, quemadmodum solent recentiores, fundum maris antiquissimo tempore fuisse eam Aegypti regionem. (20.)

§. 4.

Ratio etiam veterum diversa a nostra vtendi rebus, quas offert rerum natura, digna sine dubio est, ad quam physici animum attendant, vt

(17.) Plin. L. 37. c. 3. Philos. Trans. vol. L. 1. art. 1. & in primis: Recueil de differents memoires sur la Tourmaline par M. Aepinus. à St. Petersburg 1762. 8. p. 123.

(18.) Plin. L. 36. c 16 & apud ill. Aepinum l. c. p. 122.

(19.) Plin. L. 37. c. 7. edit. Hard. 2. p. 780. vbi hanc sententiam protulit Duc de Noya Caraffa.

(20.) Loca quaedam veterum collegit Relandus in Palaestina p. 136. edit. Norimb. Herodot. L. 2. p. m. 105. conf. Buffon 1. Th. 1. B. p. 154.

vt quae res vtiles in desuetudinem abierunt, revocentur in vsum & commodum generis humani. Ars illa excludendi pullos nondum fortasse nota esset, nisi quae de furnis Aegyptiorum narrabantur, physicos cupiditate periculum eiusdem rei faciendi insendissent. Reaumurius quidem primum eadem ratione vsus est hac in re, qua vsam olim esse Liviam Augustam relatum legimus, quippe quae ovum incubanti gallinae subductum, nunc sua, nunc ministrarum manu (vel sinu) vsque eo fovit, quoad pullus exclusus est. (t.) Verisimile est, esse plures etiam res in libris Graecorum Latinorumque, quae vsui esse possunt etiam nostro tempore, modo quis eas velit experiri. Προβλήματα quasi sunt proposita ab antiquitate physicis nostris, quemadmodum etiam Psyllorum ars, de qua iam egimus. In primis experientia dignae videntur mihi medicinae illae, quas efficacissimas, praestantissimas & consuetas laudant veteres ad vnum omnes. Anno praeterlapso (1764) in actis publicis referebatur, casu cognitum esse Paduae acetum mederi canis rabidi morsibus; qua

(t.) Sueton. in Tiberio c. 14. Plin. L. 10, 55. qui locus sane lectu dignus est; vbi etiam videbis, veteres iam recte annotasse sanguineam illam guttam salientem & palpitantem in ovis, quibus aves satis diu incubitarunt.

qua re cognita quidam publice rogarunt, vt qui medicinam hanc expertus ſit, quid effectum ſit, palam indicaret. (2.) Neſcio equidem, ſi ſatis iam probata ſit res; at hoc ſcio, multos auctores veteres graviſſimae auctoritatis hanc aceti vim (3.) collaudaſſe nequidquam cum nemo eam tanti putaverit, vt periculum feciſſet. Neque ſolum contra canis, ſed etiam aſpidum morſum laudant aceti vim & Celſus & Plinius, atque ita quidem, vt vel vulgo tunc eam notam fuiſſe intelligatur. (4.) Aliam etiam medicinam contra canis rabidi morſum ab antiquitate laudatam offendi, radicem nempe ſilveſtris roſae, quae cynorrhodos appellabatur. Laudant quidem multas medicinas, quas recentior vſus non probavit, at hanc ita in caelum lau-

(2.) Rogatum eſt iam 1764. in Gentlemänes Magazin.

(3.) Dioſcor. L. 5. c. 21. Plin. L. 23. c. 1. edit. Hard. T. 2. p. 304.

(4.) Plin. l. c. & Celſus L. 5. c. 27. *Vſus*, inquit, *ipſe docuit eum, quem aſpis percuſſit, acetum potius bibere debere. Quod demonſtraſſe dicitur caſus cuiusdam pueri, qui cum ab hac ictus eſſet, & partim ob ipſum vulnus, partim ob immodicos aeſtus ſiti* PREMERETVR, *ac locis ſiccis alium humorem non reperiret, acetum, quod forte ſecum habebat, ebibit & liberatus eſt.* caet.

laudibus extollunt, vt de eius vi dubitare non liceat. Insanabilem fuisse rabidi canis morsum antequam hoc remedium inventum sit, quo solo non hydrophobum fieri, quem canis momorderit & imminens discrimen evadere dictitant; quin etiam oraculo quodam illud repertum esse volunt, neque solum Plinius, cuius memoria repertum est eique aequales, sed etiam qui eis recentiores sunt. Vocata est etiam propterea rosa illa canina. (5.) Profecto

 cum

(5.) Plin. L. 8. c. 40. *A morsu vero vnicum remedium oraculo quodam nuper repertum, radix silvestris rosae, quae cynorrhodos appellatur*, & Lib. 25. c 2. *Insanabilis ad hosce annos fuit rabidi canis morsus, pauorem aquae, potusque omnis afferens odium. Nuper cuiusdam militantis in Praetorio mater vidit in quiete, vt radicem silvestris rosae, quam cynorrhodon vocant, blanditam sibi aspectu pridie in frutecto, mitteret filio bibendam: in Lacetania res gerebatur, Hispaniae proxima parte: casuque accidit, vt milite a morsu canis incipiente aquas expauescere, superveniret epistola orantis vt pareret religioni: seruatusque est ex insperato, & postea quisquis auxilium simile tentavit.* Cl. Popowitsch Untersuchung vom Meer pag. 352. ne hanc quidem historiam falsam putavit; ita enim: Wie GOtt dem Menschen durch besondere Erleuchtung einige Würckungen der Pflanzen zu offenbahren pflege und diese Wohlthat auch den Heyden nicht versage, erzählet schon Plinius L. 25, 2. ein merkwürdiges Exempel. Credo igi-

cum hodie omnem lapidem moveant medici, vt excogitent contra hunc omnium atrocissimum morbum remedium praesens, vellem etiam ad huius rosae radicem viros animum applicare. At quaenam est rosa illa? Harduinus respondet vocari a Gallis L'eglantier, eamque esse in horto Eystettensi regio Parisino. Vellem virum probasse sententiam suam, quam sine haesitatione profert. Ita facile res expediri nequit, praesertim cum Graecorum ac Latinorum veterum stirpes, spinosae in primis, hodie magnam partem dubiae & botanicorum disquisitionibus ac litibus obnoxiae sint, e sententia Celsii. (6.) Verum enim vero cum fuerit stirps spinosa, & viri docti multis in rebus improbum laborem subierint, nonne fieri potest, vt frequens experientia tandem aliquando, quae

igitur, virum nec de vi ipsa huius medicinae dubitasse. Omnem vero eius conficiendi rationem docet Vegetius in Mulomedicina 3, 84, 2. edit. Gesneri auctor. rer. rust. p. 1152. *Specialiter prodest, si radicem cynorrhodon id est herbae quae appellatur rosa canina estoderes & lotam prius atque contusam diligenter, sive homini sive animali, quod rabiosus canis momorderit, in plaga apposueris, contritamque cum vino veteri propinaveris quotidie ad bibendum. Hac enim sola ratione nec hydrophobus fiet & imminens discrimen evadet.*

(6.) Hierobot. T. 2. p. 192.

quae ſit roſa, doceat, vtque vſus laborem large compenſet? Certe complures viri docti operae pretium crediderunt, eam herbam inquirere, quam Britannicam vocabant Romani, cuius vim contra morbum illum, quem hodierni Scorbutum appellant, exercitus Romanus aliquando expertus erat in Germania, cum Friſii hanc medicinam indicaſſent. (7.) Porro ſi dirus ille armentarius morbus, quo noſtro tempore boum

(7.) Plin. L. 25. cap. 3. *In Germania trans Rhenum caſtris a Germanico Caeſare promotis, maritimo tractu fons erat aquae dulcis ſolus, qua pota intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus ſolverentur. Stomacacem medici vocabant, & ſceletyrben, ea mala. Reperta auxilio eſt herba, quae vocatur Britannica, non nervis modo & oris malis ſalutaris, ſed contra anginas quoque & contra ſerpentes. Folia habet oblonga nigra, radicem nigram. Succus eius exprimitur & ex radice. Florem vibones vocant: qui collectus prius, quam tonitrua audiantur, & deuoratus, ſecuros in totum reddit. Friſii, qua caſtra erant, noſtris demonſtravere illam: mirorque nominis cauſſam, niſi forte confines Oceano Britanniae, velut propinquae, dicavere. Non enim inde appellatam eam, quoniam ibi plurima naſceretur, certum eſt, etiamnum Britannia libera.* conf. *Abrah. Muntingius de vera antiquorum herba Britannica.* Ego vero omiſiſſem Britannicae hic inſigne exemplum, niſi illud indicaſſet celeberrimus Schlozerus.

(8.) Lib. cap. 1, 6.

greges abſumuntur, iam olim, interdum ſaevivit, revocandae profecto ſint medicinae, quibus diligentes contra eum paſtores Romani vſi ſunt. Denique etiam, ſi qua varia in re pecuaria vſi ſunt maiores ratione digna eſt, quae ſaltem annotetur. Verum enim eſt, quod Columella ſcripſit commendaturus veterum lectionem ei, qui agricolationem diſcere in animo habet: *quaecunque ſunt, quae propter diſciplinam ruris noſtrorum temporum cum priſcis diſcrepent, non deterrere debent a lectione diſcentem. Nam multo plura reperiuntur apud veteres, quae nobis probanda ſint, quam quae repudianda.*

INDEX.

Numerus primus indicat *caput*, ſecundus *paragraphum*, tertius *annotationem.* prol. *prologum.*

Ca-

Gor-

Leo-

Pho-

Rosa

ERRATA.

Pag. 4. Lin. 18. pro: *Ii, qui.* lege: *Iis, qui.*

p. 5. lin. 14. pro: *Hemerobium, Formicolesnem.* lege: *Hemerobium Formicaleonem.*

p. 6. lin. 9. pro: *vt prouidentiam.* lege: *at prouidentiam.*

p. 11. lin. 19. comma omiſſum adſcribe.

p. 14. lin. antepen. pro: *ſevoir* lege: *ſervir.*

p. 18. lin. 7. pro: *colligunt.* lege: *colligant.*

p. 19. lin. 15. pro: *aſſeram.* lege: *afferam.*

p. 23. pro: **Gogunt.** lege: **Goguet.**

p. 24. lin. 18. pro: *moenibus vobis.* lege: *moenibus vrbis.*

p. 27. lin. 15. pro: *Scavus.* lege: *Scarus.*

p. 37. lin. 11. pro: *Pantherus.* lege: *Pantheras.*

p. 37. lin. 19. tolle: *&*

p. 40. pro: **Giraße.** lege: **Giraffe.**

p. 45. lin. 21. pro: *attentis.* lege: *attentio.*

p. 50. lin. 18. pro: *ac.* lege: *at.* quae voculae ſaepius a typographo noſtro male commutatae ſunt.

p. 51. lin. 20. pro: *evolvent.* lege: *evolvens.*

p. 52. lin. 7. pro: *oſtendunt.* lege: *offendunt.* ita etiam p. 62. lin. vltima: *offendam.*

p. 74. lin. 19. pro: *multa.* lege: *multo.*

p. 81. lin. 24. pro: *naſcem.* lege: *naſcens.*

p. 86. lin. 4. pro: *eruſtis.* lege: *cruſtis.*

p. 88.

p. 88. lin. 20. pro: *ſtudere.* lege: *ſtudioſe.*

p. 97. lin. antepen. pro: *num.* lege: *nunc.*

p. 106. not. 23. pro: *oſtendebantur.* lege: *offendebantur.*

p. 109. lin. 22. pro: *ninis.* lege: *nimis.*

p. 112. lin. 26. pro: *temeritatem.* lege: *timiditatem.*

p. 113. lin. antepen. pro: *cui accuratam.* lege: *quibus accuratam.*

p. 114. lin. 24. pro: *tum.* lege: *tunc.*

p. 114. lin. 15. pro: *comparere.* lege: *comparare.*

p. 125. lin. 14. pro: *oſtundatur.* lege: *offundatur.*

p. 130. pro: *ad quodnam cornu? ad illud.* lege: *at quodnam cornu? illud.*

p. 130. lin. 4. pro: *acuta.* lege: *aucta.*

p. 158. male transpoſiti ſunt verſus:

Lipſii Voſſiique, animal alias
non viſum ad genus, qui —

quae verba ita transponenda: *Lipſii Voſſiique, qui non ignorantes, animal alias non viſum ad genus, ſaepe numero plane alienum, relatum eſſe —*

p. 163. lin. 9. pro: *omiſſo.* lege: *amiſſo.*

p. 175. lin. 3. lege: *offendimus.*

p. 201.

p. 201. not. 7. lege ita: *omnia quae habet Aristoteles de Dasypode, ea quoque Plinius de Dasypode.*

p. 206. μυρμηκαλεων.

p. 214. lin. 9. pro: *congelascebunt.* lege: *congelascebant.*

p. 226. not. 1. pro: *modo annuo.* lege: *morbo annuo.*

Pag. 137.

Sunt mihi species Gorgoniae, quarum stirpes iniuria fluctuum omnibus fructificationibus & cortice calcario prorsus priuatae et plane nudae sunt, ita vt omnino fruticem referant seu lignum. Habent enim medullam & annulos quasi annuos, sed nullo modo, quoniam e regno animali sunt, ardere possunt. Huius generis caulis cum saepe crassitie brachii, forte talem habuit Le Clerc. Sed quae Caesar refert de turre, ea nullo modo in Gorgoniam conueniunt; etsi hoc Zoophyton veteribus notum fuerit, cum sit vbique in mari.

Pag. 144.

Non satis accurate rem exposui; legas, quaeso, ita: *Frequens & vile erat corallium in Gallia, vt Galli gladios, scuta, galeas adornarent*

eo, ſed cum augures Indorum vatesque magnam ei vim eſſe ad abſtergendum oculi maligni faſcinum atque ad res magicas dictitabant, tanta quotannis copia corallii e Gallia in Indiam (quod etiam nunc fit.) exportabatur, vt propterea perquam raro cerneretur in ſuo orbe id eſt in loco natali ſiue Gallia.

Pag. 50.

Tus quidnam ſit, dubitaui olim, quin certo conſtaret; iam vero non dubito, quin Gummi ſit Juniperi a formicis collectum.

[illegible] d'études d'histoire naturelle